



† C. PASCAL - † L. CASTIGLIONI - I. LANA

CORPUS SCRIPTORUM LATINORUM
PARAVIANUM

IMPERATORIS CAESARIS AUGUSTI

OPERUM
FRAGMENTA

QUINTUM EDIDIT

HENRICA MALCOVATI



IN AEDIBUS IO. BAPT. PARAVIAE ET SOCIORUM

AUG. TAURINORUM • MEDIOLANI • PATAVII • BONONIAE • FLORENTIAE • ATERNI
ROMAE • NEAPOLI • BARI • PANORMI

UNIVERSITY OF OKLAHOMA
LIBRARY

QUINTA EDIZIONE 1969

PROPRIETÀ LETTERARIA

Printed in Italy

© 1944, Paravia, Torino

Si ritengono contraffatte le copie non firmate
o non munite del timbro della S.I.A.E.

S. p. A. G. B. PARAVIA & C. - 10139 Torino - Corso Racconigi, 16

417 (A) 1969 - 14772 [4981]

PA
6105
106A85
1969

PRAEFATIO TERTIAE EDITIONIS

Anno 1921 imperatoris Caesaris Augusti operum reliquias tum primum collectas atque pro meis viribus illustratas in lucem edidi: fueratque mihi huius operis auctor suasorque Carolus Pascal optimus atque veneratus magister, cuius memoria penitus animo meo inhaeret neque unquam excidet. Ne duobus quidem mensibus postquam libellus meus lucem aspexerat, nuntiatum est Cyrenis in stela marmorea graecam inscriptionem repertam esse centum fere quinquaginta versibus complexam litteras imperatoris Augusti ad rem iudiciariam pertinentes. Quapropter novam operis mei, modo nati et iam praemature quodam senio adfecti, editionem curandam tum animo suscepi: neque tamen propositum meum nisi anno 1928 peragere mihi contigit, quo demum anno inscriptio ea in quarto commentariorum volumine edita est, qui « Notiziario archeologico del Ministero delle Colonie » inscribuntur. Innotuerunt interea fragmenta tertii Rerum gestarum exempli Antiochiae in urbe Pisidiae reperta, quae primus W. M. Ramsay edidit in « Journal of Roman Studies » VI, 1916: quibus vero in editione mea propter difficultates temporum uti mihi non licuerat — vixdum enim incendium prioris illius belli extinctum erat, quo totus fere orbis terrarum conflagraverat neque commodum erat libros apud exterarum nationes editos sibi comparare —; et nova eaque luculentiora eiusdem

monumenti fragmenta reperta sunt, quae D. M. Robinson prior in «*American Journal of Philology*» XLVII 1926, tum W. M. Ramsay et A. von Premerstein in «*Klio*», Beih. XIX, 1927, ediderunt. Ipsa autem Augusti edicta et decreta addere constitui et, quo plenius clariusque principis illius adumbraretur imago, eius dicta et apophthegmata, quae apud veteres rerum scriptores passim servata sunt, in appendice collecta exhibere: quam ob rem altera operis mei editio multo priore locupletior facta est. Mox autem nova ad Augustum pertinentia documenta, quae sub Orientis graeci terris tot saecula latuerant, in lucem prolata sunt: Rhosi enim in urbe Syriae eius ad eam civitatem epistulae de Seleuco quodam navarcha Rhosensi in lapide incisae effossae sunt, quas P. Roussel primus edidit in «*Syria*» XV, 1934; et Apolloniae in urbe Pisidiae, Augusti vero aetate Galatae adiuncta, alia Rerum gestarum versionis graecae fragmenta reperta sunt, quae ad Augusteum indicem restituendum nonnihil valuerunt; et bis millesimus ab Augusti ortu annus sollemniter a totius orbis terrarum viris doctis concelebratus magnum his studiis incrementum attulit. Ipsa autem cum numquam in rem inquirere desiissem, quaedam repperi quae antea me effugerant: quapropter magna ad tertiam editionem instruendam materies mihi succrevit.

Quae nunc exit, illo nuper confecto bello quo nullum gravius neque funestius exitiatiusve humanum genus unquam contristavit vastavitque. At — fateor — perfugium ac solacium, iniquissimis patriae temporibus, hic mihi labor fuit: cumque antiqua ea tempora mihi repraesentarem quibus, tot externis atque civilibus bellis demum extinctis, pax augusta diuturnam quietem et felicitatem gentibus attulit, spes mihi affulgebat fore ut aliquando per maria ac terras omnes sopita quiescerent fera bella

et patria nostra fracta atque adflicta denuo se erigeret dignitatemque pristinam recuperaret.

Quod ut mox contingat, vehementer optamus.

HENRICA MALCOVATI

Scrpsi Ticini mense Martio a. MCMXLVII.

PRAEFATIO QUARTAE EDITIONIS

Tria acta sunt lustra ex quo tertiam huius operis editionem, emendatam eam atque novis locupletatam documentis omninoque a prioribus commutatam, typis excudendam mandavimus, via illius belli incendio extincto, quo totus conflagraverat orbis terrarum, necdum sedatis odiis discordisque quae tot populos inter se concitaverant.

Mox autem studiorum commerciis inter doctos cuiusque gentis viros instauratis, quaedam apud nos innotuerunt quae apud exterarum gentes belli tempore edita latuerant; et progredientibus annis mirum quot etiam in his studiis progressus facti sunt: diligentiores enim subtilioresque veterum scriptorum editiones, unde Augusti operum fragmenta atque testimonia excerpta sunt, in lucem prodierunt et penitus in Augusti principatum investigatum est, quibus nisus esset fundamentis quibusque rationibus factum esset ut auctoritate ille omnibus praestaret Romanis, potestatis nihil amplius quam ceteri obtinens; maximeque «*index rerum a se gestarum*» mentes atque studia virorum doctorum convertit, quo mirum in modum posteritatem princeps alloqui videtur.

Cum igitur quaedam addere, quaedam mutare, quaedam alia ratione digerere, aliter explicare oporteret, novae editionis necessitas imposita est. Quae nunc prodit, omnino retractata et renovata, emendata (atque utinam omnia

nobis contigerit menda tollere) et aucta indicibusque instructa, qui in prioribus editionibus desiderabantur quosque in Augusti litterarum studia et scribendi genus nec non res gestas rationesque imperii inquirentibus magno fore usui satis scio. Quibus si hoc probabitur opus, magnum suscepti laboris fructum mihi percepisse videbor.

HENRICA MALCOVATI

Ticini mense Martio a. MCMLXII.

PRAEFATIO QUINTAE EDITIONIS

Cum quinque annorum spatio omnia quartae huius operis editionis exemplaria divendita essent, occasione novae parandae a bibliopola honestissimo oblata usa sum ut quae potissimum ad Augusti opera atque ingenium illustranda his annis in lucem emissa sunt adhiberem et quaedam adderem quae priores inquisitiones effugerant: qua in re magnae mihi utilitati fuerunt iudicia quae de praecedenti editione facta sunt, quorum auctoribus gratum profiteor animum.

Duo autem nova edictorum testimonia et octo dicta vel apophthegmata, ne stereotypae formae perturbarentur, non sub scriptorum nominibus qui ea tradiderunt inserui, sed in fine suae cuiusque sectionis adieci (p. 68: XXIII-XXIV; p. 175: LXVI-LXXIII).

Indices verborum notabilium valde auxi e dictis et apophthegmatis quoque large hauriens, quo melius pleniusque qui fuisset augusteus linguae latinae thesaurus iam inde appareret.

Libellum meum sic emendatum renovatum auctum rerum romanarum studiosis probari posse spero.

HENRICA MALCOVATI

Ticini mense Septembri a. MCMLXIX.

PROLEGOMENA

Imperatoris Caesaris Augusti scriptorum reliquiae nondum in unum collectae integre editae erant, cum anno 1921 prima huius operis editio in lucem exiit. Primus enim, ut videtur, id ceperat consilium IANUS RUTGERSIUS in variarum lectionum libris (Lugduni Batavorum 1618) nec absolvere potuit morte occupatus. Imperfectum autem perque rarum atque vetustum est FABRICII opus, quod duobus amplius saeculis ante Hamburgi in lucem datum est: *Imp. Caes. Augusti temporum notatio, genus, et scriptorum fragmenta. Praemittitur Nicolai Damasceni liber de institutione Augusti cum versione Hug. Grotii et Henr. Valesii notis, curante IO. ALBERTO FABRICIO* (Hamburgi 1727).

Postea in Augusti scriptorum reliquias colligendas operam dedit easque in duas distribuere partes constituit AUGUSTUS WEICHERT, doctissimus vir (*Imp. Caes. Aug. scriptorum reliquiae*, Grimae 1846): in extremo autem prioris partis excursu (*de Caesaris Augusti amoribus et matrimoniis*) perpoliendo occupatus, cum de Scribonia disputationem absolvisset, subito inter scribendum apoplexia correptus animam efflavit, neque opus ad finem perducere potuit, cuius prior tantum pars edita fuit.

Weichertō autem mortuo, singulis Caesaris Augusti scriptis singuli viri docti operam dederunt: nemo vero ea omnia persecutus est atque in unum collegit volumen, ex quo iudicari posset qua doctrina humanitateque princeps ille in republica vir imbutus esset quidque in litteris valisset ac profecisset. Quod munus cum ego optimi magistri mei Caroli Pascal hortatu suscepissem atque Caesaris Au-

gusti scripta quae ad nos pervenerunt colligere breviterque illustrare constituissem, pauca in universum de eius litterarum studiis praefanda iudicavi, singillatim postea eius scriptorum reliquias percensura.

* * *

Primum igitur hoc est monendum, optima eum et puerum et adolescentem institutione usum esse: parentes (1) enim eius et praeclarus avunculus, qui summa cura ac diligentia eius praefuit educationi curavitque ut mature humanitatis litterarumque studiis imbueretur, optima eum magistrorum philosophorumque maxime graecorum disciplina erudiendum curaverunt (2): Sphaerus enim, quem ipse tum mortuum publico funere extulit (3), M. Epidius, qui et Vergilium et M. Antonium docuit (4), Apollodorus Pergamenus, qui eum

(1) De eius patre C. Octavio, optimo gravissimoque viro, equestri familia genito, vide CIC. *Q. fr.* I 1, 7, 21; 2, 2, 7; VELL. II 59, 2; SUET. *Aug.* 3; A. GARDTHAUSEN, *Augustus und seine Zeit*, I p. 45 sqq., II p. 14 sq.; DRUMANN-GROEBE, *Geschichte Roms*, IV p. 245 sqq. De eius vita rebusque gestis et de hac universa aetate videre potes A. PIGANIOL, *Histoire de Rome*, Parisiis 1939, ubi et priora huc pertinentia opera recensita reperiuntur; M. A. LEVI, *Il tempo di Augusto*, Florentiae 1951; R. SYME, *The Roman Revolution*, Oxonii 1956; S. MAZZARINO, *Trattato di storia romana*, II, Romae 1956, p. 68 sqq. De universa Augusti aetate cf. etiam: *Augustus, Studi in occasione del bimillenario augusteo*, Romae 1938.

(2) De eius magistris atque institutione cf. E. MALCOVATI, *Il « numerus » nelle « Res gestae » di Augusto*, in *Athenaeum* N. S. XIV, 1936, p. 67-77; *Cultura e letteratura nella « domus Augusta »*, in *Annali della Università di Cagliari* XI, 1941; H. BARDON, *Les empereurs et les lettres latines d'Auguste à Hadrien*, Parisiis 1940, p. 7 sqq.

(3) DIO CASS. XLVIII 33, 1. Cf. HILLSCHER, *Hominum litteratorum Graecorum ante Tiberii mortem in urbe Roma commoratorum historia critica*, in *Jahrbücher für klass. Philol.* Suppl. XVIII, 1892, p. 384.

(4) *Verg. Vita Bern.* p. 67, 6 BR. *ut primum se contulit Romae, studuit apud Epidium oratorem cum Caesare Augusto*; SUET. *de rhet.*

Apolloniam, in urbem Epiri florentissimam, undeviginti annos natum comitatus est (1), Arius Didymus Alexandrinus (2), Athenodorus Tarsensis (3) praeceptores eius fuerunt eumque varia eruditione ornaverunt. Quam ob rem non est mirandum eum in omni litterarum genere aliquid sui documentum dare potuisse; quamquam in nullo magnum evasisse vestigiumque eum fecisse fatendum est. Poeticam enim, ut infra fusius explicabimus, summam animi causa attigit, sed nihil nobis servatum est, si unum parvi pretii epigramma excipis (4); orationes, ipsa rerum suaeque dignitatis necessitate coactus, plures et apud populum et apud milites et in senatu habuit, quarum, quamvis de scripto recitare soleret posteaque in publicum quae dixisset evulgare, nihil aliud ad nos pervenit praeter laceras exiguasque reliquias. Idem fere de commentariis accidit, quos sui excusandi atque defendendi causa scripsit, deque ceteris historicis operibus, e quibus unum tantum ad nos prope integrum pervenit, index ille rerum gestarum, quem Ancyra, Galatae urbs, in aede Augusto et Romae dicata cum versione graeca incisum servavit ideoque Monumentum Ancyranum appellare consuevimus: cuius tamen recentiore

4 M. Epidius, calumnia notatus, ludum dicendi aperuit docuitque inter ceteros M. Antonium et Augustum. De eo vide A. RO-STAGNI, *Virgilio minore*², Romae 1961, p. 56, 49.

(1) HIERON. ad a. Abr. 1953 = 691/63: *Apollodorus Pergamenus, graecus orator, praeceptor Calidii et Augusti, clarus habetur* (de hoc Hieronymi testimonio cf. DIELS, *Doxographi graeci*, p. 84); QUINT. III 1, 17; SUET. *Aug.* 89, 1. Cf. A. HILLSCHER o. c. p. 393.

(2) SUET. *Aug.* 89, 1. De Ario philosopho, Augusti contubernali, fusius accuratiusque disputavit DIELS o. c. p. 81 sqq. Cf. E. ZEL-LER, *Die Philosophie der Griechen*⁴, III 1, p. 635 sqq.

(3) Testimonia de eo vide apud P. GRIMAL, *Auguste et Athé-nodore*, in *Revue des études anciennes* XLVII, 1945, p. 261 sqq.; XLVIII, 1946, p. 62 sqq.

(4) Alterum enim ei tributum epigramma vix genuinum haberi potest: v. infra, p. XIV s.; 2 s.

aetate fragmenta eaque luculenta in duarum aliarum Asiae Minoris urbium ruinis reperta sunt, exempli latini Antiochiae, Apolloniae vero versionis graecae tantummodo. Porro ut ceterarum artium, sic philosophiae quoque haud ignarus haberi voluit atque *hortationes ad philosophiam*, Ciceronis fortasse exemplum secutus, scripsit; item controversiam de Catone, qui Uticae, ne libertatis interitum vita superaret, mortem sibi ipse consciverat, aggressus, haud dubie acerrimum illum veteris liberaeque reipublicae defensorem adversatus, *rescripta Bruto de Catone* composuit: quorum operum indicem tantum cognitum habemus. In geographia quoque versatus est: non modo enim orbis terrarum tabulam, quam Agrippa inchoaverat, perfecit, sed etiam geographicum idque haud parvi momenti opus conscripsit. Epistularum autem magnum fragmentorum numerum cum alii rerum scriptores tum praecipue Suetonius, qui ipsius principis scrinia perscrutatus est, servaverunt, quae pretiosissima sunt nobis documenta, per quae illius viri animum ingeniumque penitus cognoscere possumus et interiores animi sensus perspicere. In omni denique litterarum genere Augustus ingenii vires periclitatus est neque ullam apud posteros famam se consecuturum ipse sperasse videtur, quippe qui his studiis animi atque oblectamenti tantum causa operam dedisset aliamque gloriam a prima adolescentia vehementer cupivisset ad eamque omnibus animi ingeniique viribus contendisset.

Neque tamen erit praetermittendum optime eum de latinis litteris meritum esse quod earum studia mirum in modum excitaverit earumque cultoribus lautissima favorit liberalitate; quod autem Vergili carmina, a poeta ipso flammis destinata, aboleri vetuit edendaque curavit atque posteris — *κατῆμα ἐς ἄελ* — servavit, omni est cumulandus laude.

Haec in universum dicenda mihi videbantur, singillatim nunc de Caesaris Augusti scriptis expositurae.

* * *

Poeticam (1) summam eum attigisse testatur Suetonius (*Aug.* 85, 2), quibus verbis significari videtur eum nonnumquam animi atque oblectamenti causa carminibus quoque scribendis operam dedisse. Suetoni enim temporibus carmen supererat ab eo hexametris versibus scriptum, cuius index *Sicilia* (2) erat. Cum poeticum istud nunc deperditum opus a nemine scriptorum et grammaticorum veterum praeterquam a Suetonio memoretur (3), variae fuerunt virorum doctorum coniecturae de eius argumento atque consilio: alii enim carmen illud censuerunt Siciliae insulae descriptionem complexum esse et eorum quae haberet miraculosa, in his Aetnam, sollemnem omnibus poetis locum, ut ait Seneca (4); alii huic poemati argumentum fuisse opinati sunt bellum cum Sex. Pompeio inde ab anno 712/42 usque ad annum 718/36 per intervalla et ancipiti fortuna gestum, cuius praecipua sedes Sicilia fuit. Illorum probabilior nobis videtur opinio ideoque Augusti carmen ei poetices generitribuendum esse quod *διδασκαλικόν* a Graecis dictum est (5).

Alter vero aequae modicus epigrammatum liber Suetoni aetate supererat, quae, ut Suetonius (6) ait, fere tempore

(1) Quod ad Augusti carmina pertinet, vide, quaeso, commentationem meam, *De Caesaris Augusti poematis*, in *Athenaeum* VII, 1919, p. 47-65; de carminibus ceterisque universis operibus cf. H. BARDON o. c. p. 15 sqq.; *La littérature latine inconnue*, II, Paris. 1956, p. 13.

(2) Suet. *Aug.* 85, 2.

(3) Seriore aetate PETRARCA eius Augusti operis mentionem fecit: *Rerum memorandarum* I 13, 9 (*de studio Caesaris Augusti*) Cf. infra, p. XVI.

(4) *Ep.* 79, 5.

(5) Cf. C. PASCAL, *Caratteri ed origine della « nuova poesia » latina nel periodo aureo*, Aug. Taur. 1890, p. 48; TH. BIRT, *Zum Aetna*, in *Philol.* LVII, 1898, p. 605; V. PISANI, *Augusto e il latino*, in *Annali della Scuola Normale superiore di Pisa*, VII, 1938, p. 224.

(6) *Aug.* 85, 2.

balnei meditabatur: ex quo colligi licet Augustum in hoc poematum genere admodum fuisse promptum: quod mirum non videbitur, si quis eius naturam et indolem perspexerit: fuit enim ingenio arguto et procaci, ut ex eius apophthegmatis satis apparet, quae veteres scriptores memoriae prodiderunt quaeque inde collecta huic operi quasi appendicem adiecimus. De horum autem epigrammatum natura et argumento quidam veterum scriptorum loci certiores nos faciunt. Plinius iunior (1), cum de hendecasyllabis suis parum severis ac pudicis apud Titium Aristonem amicum se excusaret, Romanos protulit, gravissimos viros, qui similia animi causa scripsissent, in quibus divum Augustum. Quibus e verbis effici licet Augusti epigrammata petulantiora fuisse ac lasciviora; quorum exemplum nobis Martialis (2) servavit, ut suorum lasciviam ac turpitudinem excusaret, obscenum quoddam atque probrosum in Fulviam epigramma ad triumviratus tempora pertinens (3). Alterum Augusti epigramma usque ad annum 1880 ignotum primus tunc edidit H. Hagen in Musei Rhenani volumine XXXV (4) recepitque Baehrens in Anthologiam Latinam (5), cum Hageno neque Augusto indignum ratus et ex collectione quadam

(1) *Ep.* V 3, 4.

(2) XI 20.

(3) Non defuere tamen qui Martialis testimonio fidem — iniuria — derogarint: cf. E. GROAG, *Beiträge zur Geschichte des zweiten Triumvirats*, in *Klio* XIV, 1915, p. 47 « *meines Erachtens kaum echt, ist es doch sicherlich von einem genauen Kenner der damaligen politischen Situation verfasst* »; item TEUFFEL, *Gesch. der röm. Lit.*, II⁷, p. 13 « *ein sehr zotiges, aber kaum echtes Epigramm* ». Alii autem quamquam ex Octaviano ipso id fluxisse censuerunt, historiae fidem et veritatem ei denegarunt: cf. DRUMANN-GROEBBE I p. 289; at vide contra GARDTHAUSEN I p. 196, II p. 93; M. A. LEVI, *Ottaviano capoparte*, Florentiae 1933, II p. 21, 1. Cf. etiam BARDON, *Empereurs et lettres*, p. 19.

(4) HAGEN, *Ueber ein neues Epigramm mit der Aufschrift Octaviani Augusti*, *Rhein. Mus.* XXXV, 1880, p. 569.

(5) *Poetae latini minores* IV, n. 122, p. 111.

carminum, ad syllogem, quae Anthologia Latina vocatur, utpote omnium harum collectionum per medium aevum matrem, referenda, in codice Bernensem manasse (1). Exstat enim in codice Bernensi 109 (2) saeculi X inter alia ex scriptoribus christianis excerpta, ex patribus potissimum Ambrosio, Augustino, aliis, folio 136 notis tironianis maiore ex parte scriptum cum hoc titulo: *Octā. aug.*

Quidam autem suppositivum id medii aevi opus iam pridem iudicaverant (3): nunc vero luculenter videtur nobis demonstratum esse minime Augusto id tribui posse sed ad Luxorii tempus ad eamque poetarum sectam esse referendum neque ante quintum vel sextum saeculum compositum esse (4). Non tamen id omnino explodere ausi sumus, cum sint qui etiam nunc genuinum Augusti opus id iudicent (5). Ceterum in Anthologia Latina alia servata sunt epigrammata falso — sine controversia — Augusto nostro attributa (6).

Librum quendam Augusti epigrammata et epistulas ad amicos continentem, *conditum facetissima gravitate et luculentissima brevitate*, inexplicatum etiam et carie semesum, sibi admodum adulescenti venisse in manus testatur Fran-

(1) Ediderunt, post Baehrensium, E. CHATELAIN, *Introduction à la lecture des notes tironiennes*, Paris. 1900, p. 142; A. RIESE, *Anthologia Latina*², n. 719^f, p. 203; P. LEGENDRE, *Glanure Tironienne*, in *Revue de philologie* XXXIV, 1910, p. 173.

(2) LIBER SCI BASOLI CONFESSORIS XPI in foliorum 19^b et 20^a marginibus extremis appellatur.

(3) TEUFFEL *ibid.*: « *schwächliches Epigramm ... wohl mittelalterlich* »; cf. etiam W. H. STEVENSON, *A poem ascribed to Augustus*, in *Classical Quarterly* V, 1911, p. 264 sq.

(4) K. MÜLLER, *Neue Fragmente in Tironischen Noten*, *Schweizer Beiträge zur allgem. Geschichte*, XIII, 1955, p. 45.

(5) Cf. BARDON, *Empereurs et lettres* p. 17; *Litt. lat. incon.* II p. 13, 2; MENTZ, *Die Tironischen Noten*, Berolini 1953 p. 67 sq.

(6) Cf. de iis commentatiunculam nostram in *Athenaeum* 1919 p. 15 sq.; BARDON, *Empereurs et lettres* p. 21 sq.

ciscus Petrarca (1), postea autem multum frustra que a se quaesitum: quem librum eundem fuisse quidam suspicati sunt atque eum qui in catalogo Lemovicensi saeculi XII memoratur *liber Octaviani imperatoris* (2). At plerique virorum doctorum minime verisimile censuerunt exstitisse etiam tum genuinum Augusti librum eumque simul et poemata et soluta oratione conscriptas epistulas complexum atque Petrarcae in hac re fidem in dubium revocarunt, librum, qui in eo medii aevi catalogo commemoratur, Suetonianam potius Augusti vitam continuisse rati (3). Nos autem rem de eo ad mediam aetatem pertinente libro iniudicatam relinquentes, illius antiquarum litterarum studiosissimi viri testimonio, quod tam apte commodeque Augusti in hoc genere ingenium exprimit, fidem prorsus derogare non audemus.

In tragoedia quoque quid ingenii vires valerent periclitatus est; nam, teste Suetonio (4), tragoediam magno impetu exorsus est; non succedente autem stilo abolevit, quaerentibusque amicis quidnam Ajax ageret, respondit Aiace suum in spongiam incubuisse: quibus e verbis conici licet eum in Aiace tragoedia communem antiquitatis famam de nece, quam sua sibi manu conscivisset clarissimus ille inter

(1) F. PETRARCA, *Rer. mem.* I 13, 3 (*Divus Caesar Augustus*) scripsit et epigrammatum librum et epistolarum ad amicos: conditum facelissima gravitate et luculentissima brevitate: quod opus inexpletum et carie semesum mihi adolescenti admodum in manus venit, multum frustra que postmodum quaesitum.

(2) Cf. M. MANITIUS, *Philologisches aus alten Bibliothekskatalogen*, in *Rhein. Mus.* XLVII, 1892, Ergänzungsheft, p. 27.

(3) Cf. D. R. STUART, *Petrarch's Knowledge of the Life of Vergil*, in *Classical Philology* XII, 1917, p. 375 sq.; etiam V. RÜHL in *Berl. Phil. Woch.* 1895 c. 468; G. VOIGT, *Wiederbelebung des klass. Altertums*³, p. 41; E. BOURNE, *Petrarch on Augustus' Letters*, in *Am. Journal of Philology* XLI, 1920, p. 287. — M. MANITIUS, l. c. « enthielt er eine Abschrift des *Monum. Ancyranum* oder *Suetons Vita Augusti*? ».

(4) *Aug.* 85, 2; cf. *MACR. sat.* II 4, 2.

graecos ad Troiam pugnantes duces, secutum esse, quam etiam a Sophocle acceptam invenimus.

Praeterea e Macrobi testimonio (1) constat temporibus triumviralibus fescenninos in Asinium Pollionem (2), quos versus natura sua iocosos petulantes obscenos fuisse compertum habemus, eum scripsisse, haud dubie quia intellexisset illum Antonianae factioni constanter ac pervicaciter favere; ipsum autem Pollionem, proscriptionem tum ab Augusto acerbe dureque exercitam metuentem, nihil rescripsisse.

Superest ut de elogio mentionem faciamus, quod quattuor et quinquaginta annos natus Drusi privigni sui, Tiberi Claudii Neronis et Liviae filii, tumulo versibus a se compositis, teste Suetonio (3), exsculpsit: quod fuisse videtur inscriptio sepulchralis versibus haud dubie elegiacis expressa. Sed tempus edax id quoque Augusti poematum consumpsit.

Breviter nunc de Augusti graecis poematis mentio nobis est facienda (4). Quamquam enim apud Suetonium (5) scriptum legimus eum non tam linguae graecae peritum fuisse ut aut loqueretur expedite aut componere aliquid auderet, nonnulla tamen exstant apud veteres scriptores testimonia eum per occasionem ludumve versus graecos vel ex tempore fecisse, quos quantivis pretii versus edidimus ad demonstrandum non defuisse ei cum promptam satis linguae graecae facultatem, tum artis etiam cognitionem ex multa ac diligenti sine dubio poetarum graecorum lectione haustam.

(1) *Sat.* II 4, 21.

(2) Temere dubitavit TEUFFEL (l. c.) utrum de Asinio an de Vedio Pollione apud Macrobi ageretur.

(3) *Claud.* I, 5.

(4) Cf. R. GELSOMINO, *Il greco e i grecismi di Augusto. La vita privata*, *Maia* XI, 1959, p. 124.

(5) *Aug.* 89, 1.

*
* *

Epistularum (1) reliquiae a Caesare Augusto scriptarum, quae usque ad nos pervenerunt, haud contemnendae numero, pretiosissima sunt nobis documenta, per quae viri illius ingenium penitus cognoscere possumus. Quae enim nobis epistularum eius fragmenta servata sunt, maximam partem ex numero earum deprompta, quas ad familiares scripsit, mirabilis et iucundae affectuum varietatis plena sunt, eiusque vitam, mores, ingenii animique indolem propius spectare nos sinunt, animumque nostrum mira quadam vi in se convertunt. Quamvis enim laceratae luculenter ostendunt nobis illae reliquiae sollicitam Augusti curam suorum et obsequium eius erga Liviam uxorem et amorem in privignos nepotesque et rectum eius de suis iudicium et facetam ac festivam, ne dicam interdum petulantem et mordacem, indolem eiusque vitae consuetudines et simul anxium fere dignitatis principalis studium, totum denique eius animum aperiunt: hoc tantum valde est dolendum, temporis iniuria maximam earum partem consumptam esse, quae quantum lucis ad eius et vitam et animum et aetatem allaturae fuerint, per se liquet.

Augusti epistulas in singularibus voluminibus collectas fuisse et evulgatas in omnium manus venisse, e loco Gellii (2) colligi licet, qui librum epistularum divi Augusti memorat, quas ad Gaium nepotem suum scripsit (3). Suetonius nullam

(1) Cf. H. PETER, *Der Brief in der römischen Litteratur*, in *Abhandlungen der phil.-hist. Classe der kön. sächs. Gesellschaft der Wissenschaften* XX, 1903, p. 97 sqq.; E. BOURNE, *Augustus as a letter-writer*, in *Transactions and Proceedings of the Am. Philol. Association*, XLIX, 1918, p. 53 sqq. Cf. etiam G. NENCI, *Reminiscenze oraziane nell'epistolario augusteo*, *La parola del passato* 1961 p. 119-123.

(2) XV 7, 3.

(3) H. PETER, *Die geschichtliche Litteratur über die röm. Kaiserzeit*, Lipsiae 1897, I p. 460, librum litterarum ad Gaium nepotem

Augusti epistularum syllogen refert, sed nullum est dubium quin ei prae oculis epistulae ipsius manu scriptae fuerint (1); quod etiam de Quintiliano (2) atque Plinio (3) dicendum est; verisimile autem videtur omnes illas familiares fuisse, haud dubie ab iis ad quos scriptae fuerant, velut res pretiosas diu servatas et vel hereditate vel emptione ad posteros traditas. Quod autem epistulae ad Ciceronem crebro per annos 710/44-711/43 ab Octaviano scriptae penitus interierunt, non forte tantum factum esse videtur, cum contra epistularum supersint fragmenta a Cicerone ad eum missarum, quas tribus saltem voluminibus comprehensas in publicum evulgatas fuisse constat (4).

Quod ad dictionem pertinet, in epistulis quoque quamvis saepe cito et currenti exaratae sint stilo et plerumque familiari dicendi genere expressae, easdem deprehendere possumus virtutes, quibus universe eius eloquendi scribendique genus praeditum fuisse veteres contestantur scriptores (5). Gellius autem, litterarum potissimum ratione habita, elegantiam orationis neque morosam neque anxiam, sed facilem hercle et simplicem Augusto tribuit (6). At in epistulis familiaribus scribendis verba graeca latinis immiscere sole-

partem fuisse censuit amplioris Augusti litterarum collectionis: sed e loco Gellii, quem supra memoravimus, effici posse videtur in singulos libellos eas editas fuisse.

(1) SUET. *Aug.* 71, 2 *autographa quadam epistula*; 87 *litterae ipsius autographae*. Vide A. MACÉ, *Essai sur Suétone*, Paris. 1900, p. 117 sqq.

(2) I 7, 22 « *here* » *nunc E littera terminamus, at veterum comicorum adhuc libris invenio « heri ad me venit »; quod idem in epistulis Augusti, quas sua manu scripsit aut emendavit, deprehenditur.*

(3) *n. h.* XIII 83; XVIII 139; XXI 9.

(4) Collecta ea videre potes apud TYRRELL-PURSER, *The correspondence of M. Tullius Cicero*, VI, p. 292-300. — Cf. H. PETER, *Der Brief*, p. 99, 2.

(5) Vide infra p. 71 sq. De Augusti dicendi genere vide V. PISANI, *Augusto e il latino*, in *Annali di Pisa* VII, 1938, p. 221-236.

(6) GELL. XV 7, 3.

bat Augustus (1), sicut e fragmentis quae supersunt colligi potest, versibusque graecis atque proverbii libenter uti. Praeterea in iisdem quaedam notatu digna frequentius eum usurpasse Suetonius (*Aug.* 87, 1) animadvertit: nam, cum aliquos numquam soluturos significare vellet, *ad kalendas graecas soluturos* aiebat, et cum hortaretur ferenda esse praesentia, qualiacumque essent, *contenti simus hoc Catone*; et ad exprimendam festinatae rei velocitatem *celerius quam asparagi coquuntur*. Quorum primum Augusti dictorum, etiam nunc frequenter usurpatum, explanatione non eget, cum satis constet apud Graecos minime valuisse mensium Romanorum rationes et partes; festive igitur lepideque Augustus *ad kalendas graecas* pro *numquam* dicere potuit. Quod ad alterum dictum pertinet, in controversia est utrum de Catone Censorio an de Uticensi agatur: si autem consideraverimus Censorii nomen iam pridem Uticensis praeclara fama obscuratum ad Augusti aetatem pervenisse, huius vero memoriam recentem adhuc in omnium animis viguisse, nobis manifestum fiet Catonem Uticensem modo ab Augusto intellegi potuisse (2). De huius autem Augusti dicti significatione virorum doctorum sententiae inter se discrepant: alii enim voluisse eum quasi dicere interpretati sunt: «feramus haec aequo animo nec nobis mortem consciscamus; satis sit hoc Catonem fecisse»; sed per se liquet quantum cavillationis haec habeat sententia; alii rectius censuerunt id dictum eum usurpasse, cum hominem mediocri virtute praeditum in senatum legeret vel senatui aut tribubus commendaret, ita ut Cato non amplius hominis sed ipsius virtutis nomen fieret frequentissimeque in proverbiiis adhiberetur. Tertium denique dictum, e re coquinaria petitum, ostendit eum in epistulis familiaribus iocu-

(1) Haec autem non unius Augusti consuetudo fuit, sed quo quisque tum doctior videri volebat eo libentius copiosiusque in sermone graeca utebatur lingua. Vide Cic. *off.* I 111; Hor. *sat.* I 10, 20 sqq. Quod ad Augustum pertinet cf. R. GELSOMINO o. c. *Maia* 1959 p. 125 sqq.

(2) At vide J. CARCOPINO *Revue des ét. anc.* LIII, 1951, p. 154.

lariter ludere consuevisse. Tribus his dictis aliud addendum est quod Gellius (X 11, 5) servavit, qui ait Augustum et dicere in sermonibus et scribere in epistulis solitum esse: *σπεῦθε βραδέως* (1), hoc est: *festina lente*, per quod moneret *ut ad rem agendam simul adhiberetur et industriae celeritas et diligentiae tarditas, ex quibus duobus contrariis fit « maturitas »*; quod item dictum usque ad nostram aetatem pervenit atque etiam hodie frequenter, latine quidem, usurpatur.

Eodem loco (*Aug.* 87, 2) pergit Suetonius: *ponit assidue et pro stulto 'baceolum' et pro pullo (2) 'pulleiaceum' et pro cerrito 'vacerosum' et 'vapide' se habere pro male et 'betizare' pro languere, quod vulgo 'lachanizare' dicitur.* — 'Baceolus' sive 'bacelus' a graeco 'βάκηλος' ductum esse videtur, de quo Sudas (3): *μέγας μὲν, ἀνόητος δὲ καὶ γυναικώδης. Βάκηλος, εὐνοῦχος, ἀπόκοπος. καὶ παροιμία βάκηλος εἶ. κατὰ τῶν ἐκλύτων καὶ ἀνάνδρων*; est igitur homo demens, stultus, vaniloquus, mollis et effeminatus. Verbum 'pulleiaceus' a 'pullus' syllabica adiectione productum, ad aliorum colorum exemplum, ut recte monuit Casaubonus, quadam ingenii lascivia Augustus formavit; sic enim dici-mus: 'violaceus, hederaceus, herbaceus', etc. 'Vacerosus' quod pro 'cerrito' Augustus usurpare solebat a 'vacerra' i. e. stipite et translate homine vecordi et vesano (4),

(1) Cf. Suet. *Aug.* 25, 4.

(2) *et pro pullo* scripsimus unius e potioribus codicibus, Montepess. 117 s. XII, atque recentiorum lectionem secuti, quae vulgata facta est, cum optimorum codicum lectio, *apud pullum*, quam Ihm recepit, minime probari posse videatur: coniecturas ad hunc locum prolatas videre potes ad *epist. fr.* LIII.

(3) s. v., I p. 448 Adler.

(4) FEST. p. 512 L. *vacerram et Aelius et alii complures vocari aiunt stipitem (ad quem verb)ices solent religari (vel etiam equi). Ateius vero Philologus (hominem pro)num ad male dicendum (aut quasi « veacrem », id est magnae acerbitatis, aut quasi « vecerram » ut sit vecors et vesanus), teste Livio qui dicit (hoc modo): (vacerra) corde et malefica vecordia (quod ad supplementa attinet, cf. LINDSAY Festi ed. in *Gloss. Lat.* IV p. 463; LIVI ANDR. fr. p. 43 II LENCHANTIN).*

sermonis plebei atque rustici vox est. Quod ad 'vapide' adverbium pertinet, id a 'vappa' ductum videtur, quod est vinum insipidum nulliusque virtutis postquam omnino odor saporque evanuit (1). Denique pro 'languere', teste Suetonio, 'betizare' Augustus maluit, quod vulgo 'lachanizare' dicebatur. Utrumque verbum ab oleribus ductum est: ut enim *λάχανα*, unde 'lachanizare', Romanorum olera sunt, ita est 'beta' herba languida, caule ac foliis tenerimis atque mollissimis praedita. Neque mirum est Augustum tam vario modo eandem rem dixisse, quod, cum per totam fere vitam infirmus atque valetudinarius fuisset, saepius id verbis illi significandum fuit.

Porro haec Suetonius in Augusti epistulis animadvertit, eum 'simus' pro 'sumus' et 'domos' genetivo casu singulari pro 'domus' usurpasse, additque: *nec unquam aliter haec duo, ne quis mendam magis quam consuetudinem putet*; quod Marii Victorini (2) testimonio confirmatur: *divus Augustus genetivo casu 'huius domos meae' per O non per U litteram scripsit. Messala, Brutus, Agrippa pro 'sumus', 'simus' scripserunt*. Quantum ad 'simus' pro 'sumus' spectat, quem usum Augustum cum aliis suae aetatis viris iisque haud litterarum nesciis communem habuisse e Marii Victorini testimonio constat, id ex vocalium *i* atque *u* sono affini nunc exiliore nunc pinguiore ortum esse videtur, quarum permutatio frequentissime apud veteres scriptores deprehenditur (3). Sed ut Caesar *optimus* atque *maximus* semper et ipse usurpavit et inscriptione usurpari iussit, sicut Quintilianus (I 7, 21) refert, ita Augustum semper *simus* pro *sumus* dixisse animadvertit Suetonius in epistulis ipsius manu scriptis (4).

(1) Cf. ERNOUT-MEILLET, *Dictionnaire étymologique de la langue latine*, s. v.

(2) *G. L. K.* VI p. 9, 4.

(3) Cf. C. PASCAL, *Il suono dell'u dolce nel latino secondo gli antichi grammatici*, in *Athenaeum*, VI, 1918, p. 34 sqq.

(4) Cf. LEUMANN-HOFMANN, *Lat. Gramm.*, Monaci 1928, p. 86, 310 c.

Difficiliorem habet explicatum quod Suetonius addit, Augustum semper *domos* pro *domus* genetivo casu singulari adhibuisse, qua de re nulla adhuc probabilis ratio data est (1), neque ulla fortasse dari potest: perperam tamen Fridericus Ritschl (2) *domuos* pro *domos* apud Suetonium legendum esse coniecit.

Praeterea Suetonius hoc in litteris ipsius Augusti manu scriptis animadvertit, eum consuevisse verba non dividere nec ab extrema parte versus abundantes litteras in alterum transferre, sed ibidem statim subicere atque circumducere (3), quod fecisse videtur ne molesta ea verborum divisio lectorem moraretur.

Denique Suetonius (*Aug.* 88) ait Augustum non adeo orthographiam, quam dicunt, i. e. formulam rationemque scribendi a grammaticis institutam, custodivisse: sed eorum potius secutum esse opinionem, qui perinde scribendum ac loqueremur existimarent. Huc pertinere videtur quod refert Quintilianus (I 7, 22) qui ait apud antiquos et *here* et *heri* in usu fuisse, sua quidem aetate formam in *-e* exeuntem praelatam esse, sed apud veteres comicos formam *heri* se invenisse: *quod idem in epistulis Augusti, quas sua manu scripsit aut emendavit* (4), *deprehenditur*. Quod Quintilianus ait formam *heri* veteres comicos adhibuisse, ostendit eam in sermone cotidiano atque vulgari usurpatam esse. Augustus

(1) Cf. LEUMANN-HOFMANN, p. 268 c « *merkwürdig ist Gen. domos des Kaisers Augustus, vielleicht nach den Doppelformen des Abl. Sing. domū domō und Akk. Plur. domūs domōs auch zum Gen. Sing. domūs ein domōs. Oder hat Sueton überhaupt einen Akk. Plur. als Gen. Sing. missverstanden?* ». Cf. etiam SOMMER, *Lat. Laut- und Formenlehre*²⁻³, Heidelbergae 1914, p. 388 « *da weitere Formen auf -os nicht bezeugt sind, ist eine Erklärung dieser kaiserlichen Spezialität unmöglich* ».

(2) *Opusc. philol.* IV, p. 169.

(3) De hac Augusti consuetudine vide A. CORRADI, *Augusto mogigrafo?*, in *Boll. di fil. class.* II, 1895-96, p. 262 sq.

(4) Haud dubie intellegendae sunt litterae ab Augusto dictatae atque a liberto aliquo exaratae.

igitur, cotidiani sermonis in epistulis sectator (1), cum haud dubie *heri* non *here* pronuntiaret, eandem formam in scribendo quoque praetulit, sicut fragmenta eius epistularum (cf. fr. VI ad Tiberium privignum; fr. XXVI ad Agrippinam neptem) ostendunt. Item Gellius (X 24, 1-2) ait sua quidem aetate *die quarto* et *die quinto* tantum dici consuevisse, quae aliter diceret, eum pro rudi atque indocto homine haberi: *sed Marci Tullii aetas ac supra eam non, opinor, ita dixerunt: 'diequinte' enim et 'diequinti' pro adverbio copulate dictum est, secunda in eo syllaba correpta. Divus etiam Augustus, linguae latinae non nescius munditiarumque patris sui in sermonibus sectator, in epistulis plurifariam significatione ista dierum non aliter usus est.* Augustus igitur contra grammaticorum praecepta, easdem verborum formas quibus in cotidianio sermone uteretur, in epistulis quoque adhibere consueverat. Unde efficiamus licet eum ad *ἑνωμαλῶν*, quam inaequalitatem Varro (*l. l.* IX 1, 1) vocat, proclivem fuisse.

Postremo addit Suetonius (*Aug.* 88) in epistulis ipsius Augusti manu scriptis communes hominum errores se deprehendisse in permutandis et praetermittendis litteris syllabisque, idque notatu dignum se putavisse cum tradidissent aliqui legato consulari successorem eum dedisse ut rudi et indocto, cuius manu *ivi* pro *ipsi* scriptum animadvertisset.

Sed hoc etiam in Augusti epistulis singulare diligentissimus idem scriptor animadvertit, qui cum esset epistularum magister aditusque ei ad ipsa acta pateret, ea quae in principis scriniis custodirentur, attentissimo animo inspexit atque perscrutatus est (2): ad omnes eum horarum quoque momenta nec diei modo sed et noctis, quibus datae

(1) Suet. *Aug.* 87, 1.

(2) Cf. A. MACÉ o. c. p. 122 sqq.; A. ROSTAGNI, *La « vita d'Orazio » di Svetonio*, in *Atti dell'Accademia delle Scienze di Torino*, LXX, 1935, II p. 28; E. FRAENKEL, *Horace*, Oxonii 1957, p. 17, 2; F. DELLA CORTE, *Svetonio*, Mediolani 1958, p. 19 sqq.

significarentur, addere solitum esse (1): quod magnam, immo etiam nimiam interdum curam declarat, quam cum in omnibus negotiis tum etiam in rebus litterariis observavit Augustus.

Quod ad epistulas graecas pertinet, etiamsi quaedam in iis improprie usurpata sunt, etiamsi multa hominis Romani esse manifesto apparet, satis eleganter tamen eas esse scriptas fatendum est (2). Minime vero Augustus ipse graece eas scripsisse videtur: nam aperte testatur Suetonius (3), *si quid res exigeret*, latine eum formasse vertendumque alii dedisse: eas autem translatas ipsum recognovisse et, si opus fuisset, emendavisse veri est simillimum.

Caesaris Augusti epistularum reliquias in duas distributas partes edidimus, quarum prior ad res privatas, altera ad res publicas epistulas pertinentes continet; cumque difficillimum esset temporis rationem in illis servare idque plerumque nullo pacto fieri posset, eorum tantum, ad quos scriptae fuissent, rationem habuimus; has vero temporum ordine, quantum quidem fieri potuit, digestas edidimus.

* *

Ad epistularum genus pertinent codicilli libelli diplomata nec non edicta et decreta.

Codicilli, qui et pugillares dicti sunt, quam ob rem Catullus *carm.* 42 quae v. 5 pugillaria dixerat, mox v. 11 codicillos appellat, fuerunt parvae tabellae scriptoriae cera illitae, in quibus stilo scribebatur, *πινακίδια*, *σχεδάρια*. His usi sunt veteres ante chartam inventam, cum per litteras aliquid esset significandum, sicut e Plinii *ep.* VI 16, 8;

(1) Suet. *Aug.* 50.

(2) Vide quae de earum dicendi genere disputavit VIERECK, *Sermo graecus*, Gottingae 1888, p. 78, et, quod ad Cyrenenses edicta pertinet, STROUX-WENGER, *Die Augustus-Inschrift auf dem Marktplatz von Kyrene*, in *Abh. der bayer. Akad., phil.-hist. Kl.* XXXIV, 2, 1928 c. III.

(3) *Aug.* 89, 1.

31, 7; *pan.* 70, 9 colligi potest. Sed et post inventam chartam permansit eorum usus, cum vel prope aliquid esset scribendum, vel chartam in promptu non haberent, ut in itinere, in cena, in senatu. Lipsio autem id discriminis facienti ut epistulae ad absentes vel quasi absentes, codicilli vero ad praesentes mitterentur, minime esse adsentiendum, ipsum Catulli, quod supra memoravimus, carmen docet. Hoc tantum adfirmari posse videtur, usos esse inter se codicillis, qui aliquanto coniunctiores viverent. Sic ad Liviam uxorem codicillos de Tiberi acerbitate et intolerantia morum Augustus, teste Suetonio (1), scripserat; item codicillos intellegere debemus scripsisse Augustum festinanter in theatro et ad Iuliam filiam ibidem praesentem misisse, quam luxuriosae iuventutis grege circumsessam vidisset (2). Porro per codicillos questus est quod in magno et recenti luctu suo, cum Gaius Caesar ex Armenia rediens in Syria morbo decessisset, homo sibi carissimus, C. Asinius Pollio, pleno convivio cenasset (3). Minime vero adduci possumus ut credamus scripsisse Augustum codicillos, quibus Agrippae Postumi caedes iuberetur: propiusque vero videtur quod Tacitus testatur, Tiberium patris iussa simulasse, ut invisus iuvenis tolleretur (4).

Libelli et ipsi fuisse videntur breviores epistulae, sed in plures paginas complicatae, codicillis longiores, itemque signatae (5): a Graecis γράμματα vel βιβλία appellatae.

In huiusmodi libellis usurpandis videtur Augustus avunculi exemplum secutus esse, cuius ait Suetonius (6) suis ipsius temporibus epistulas ad senatum exstitisse, quas primus ad paginas et formam memorialis libelli convertisset,

(1) Suet. *Tib.* 51, 1.

(2) Macr. *sat.* II 5, 6.

(3) Sen. *contr.* IV, *pr.* 5

(4) Suet. *Tib.* 22; Tac. *ann.* I 6.

(5) Suet. *Aug.* 50.

(6) Suet. *Caes.* 56, 6.

cum antea consules et duces non nisi transversa charta scriptas mittere consuissent (1).

Denique diplomata, quae a duplicium tabellarum forma nomen invenisse videntur, litterae principum fuerunt, quae proprio vel munere vel beneficio aliquem ornatum testarentur. Augusti diplomata ad ius civitatis pertinentia apud Suetonium (2) commemorantur.

Item edicta et decreta edere haud alienum censuimus: leges vero omnino omittendas, ad iuris scientiam propius pertinentes (3).

(1) Vide sis haec de re H. PETER, *Der Brief* etc. p. 31.

(2) Suet. *Cal.* 38, 1.

(3) Opera vero, potissima quidem, in quibus leges ab Augusto latas collectas videre potes, hic percensere haud alienum visum est: G. HAENEL, *Corpus legum ab imperatoribus Romanis ante Iustinianum latarum*, Lipsiae 1857, p. 1-34; V. GARDTHAUSEN, *Augustus und seine Zeit*, I p. 887-912, II p. 518-530; E. CUQ, sub voce *Lex* in DAREMBERG et SAGLIO, III p. 1149-1151; G. ROTONDI, *Leges publicae populi romani*, Mediolani 1912, p. 437-462; PAULY-WISSOWA *R. E.* XII (1925) 2363 sqq. et Suppl. VI (1935) 808 sqq. De Augusti legibus in universum vide H. LAST in *Cambridge Ancient History* X, 1934, p. 425 sqq.; V. ARANGIO-RUIZ, *La legislazione, 'Augustus'*. *Studi in occasione del bimillenario augusteo pubblicati dalla R. Acc. dei Lincei*, Romae 1938, p. 101-146; B. BIONDI, *La legislazione di Augusto. Conferenze augustee nel bimillenario della nascita*, Romae 1939, p. 139-262; H. SIBER, *Das Führeramt des Augustus*, in *Abhandl. d. sächs. Ak. d. Wiss., phil.-hist. Klasse*, XLIV, 1940, p. 58 sqq. Leges omnes, quas Augustus ipse vel eius auctoritate consules post Actiacum proelium rogaverunt, in volumine *Acta Divi Augusti* I, Romae 1945, edidit B. BIONDI (p. 101-223); senatusconsulta ad Augustum eiusque aetatem pertinentia collegerunt ibidem (p. 227-274) B. BIONDI et V. ARANGIO-RUIZ. — Item omittendum statuimus, diligenter re considerata, documentum quod nuper in lucem editum est Augusti et Agrippae nomina prae se ferens, quod ad senatusconsulta pertinere optime contendit K.M.T. ATKINSON quae id edidit atque doctissime illustravit (« *Restitutio in integrum* » and « *iussum Augusti Caesaris* » in an *Inscriptio at Leyden*, in *Revue internationale des droits de l'antiquité*, 3 VII, 1960, p. 228-272).

* *

Quod ad orationes pertinet, eloquentiam studiaque liberalia ab aetate prima eum cupide et laboriosissime exercuisse testatur Suetonius (1) nec cuiquam mirum videbitur, qui consideraverit honestis eum studiis a puero imbutum praeclaraque excellentium magistrorum disciplina atque institutione usum fuisse: veri autem simillimum est avunculum ipsum, Iulium Caesarem, qui perspectis ingenii animique eius virtutibus iam dudum in nomen familiamque eum adsciscere secum ipse constituisset, operam dedisse ut praeter ceteros dicendi facultatem adulescens exerceret atque excoleret, qua nihil utilius nihilque ei magis necessarium fore intellegeret; idque Dionis testimonio (2) confirmatur. Etiam enim Mutinensi bello, teste Suetonio (3), in tanta mole rerum, nullum diem elabi passus est quin et legeret et scriberet et declamaret. Sed eius orationum, quas omnes de scripto eum dixisse Suetonius testatur verique simile est in publicum evulgatas fuisse, pauca tantummodo eaque exigua fragmenta ad nostram aetatem pervenerunt.

Eius autem sermonem quibusdam iisque praeclaris ornatum fuisse virtutibus veteres scriptores contestantur; praecipuamque eius curam fuisse sensum animi quam apertissime exprimere et aperte testatur Suetonius (4) et ex eius operum fragmentis patet. Ex eodem rerum scriptore (5) accepimus eum neque in senatu nec apud populum nec apud milites umquam nisi meditata et composita oratione locutum esse, quamvis non careret quadam ex tempore dicendi facultate; ac ne periculum adiret memoriae aut in ediscendo tempus consumeret, omnia recitare instituisse: quod prudentiam laude dignam atque circumspeditionem

(1) *Aug.* 84, 1.(2) *XLV* 2, 7.(3) *Aug.* 84, 1.(4) *Aug.* 86, 1.(5) *Aug.* 84, 1.

principis declarat, qui accurate domi quae in publico dicturus esset, meditabatur et sive tempori parcens sive memoriae diffidens, ne quid plus minusve diceret, quam sibi propositum esset, de scripto pronuntiabat.

Avunculi dictionem in contionando eum aemulatum esse Gellii (1) testimonio constat, qui divum Augustum dicit munditiarum patris sui in sermonibus sectatorem: sed ut ingenio et doctrina, ita eloquentia quoque Augustus cessit avunculo suo: hic enim et elegantissime, teste Cicerone (2), locutus est, et externis quoque ornamentis praeditus fuit, quae in audientium animis movendis vehementer eum adjuvant: fuisse traditur (3) excelsa statura, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetisque oculis, valetudine prospera; pronuntiasse dicitur (4) voce acuta atque ardenti motu gestuque nec sine venustate. At Augustus forma quidem eximia fuit et per omnes aetatis gradus venustissima, sicut Suetonius (5) docet eiusque ostendunt simulacra (6), sed statura brevi, valetudine in-

(1) *X* 24, 2.

(2) *Brut.* 252. De Iuli Caesaris dicendi generis elegantia, vide quae docte disputaverint E. WOLFFLIN, *Elegantia Caesaris*, in *Archiv für lat. Lex. und Gramm.* VIII, 1893, p. 142 sq.; *Epigr. Beitr. in Sitzungsber. der philos.-philol. und hist. Klasse der Akad. der Wiss. zu München*, 1896, p. 161 sq.; P. FABBRI, *L'oratoria di Cesare*, in *Historia* IX, 1935, p. 261 sqq.; G. FUNAIOLI, *Cesare scrittore*, in *Studi di letteratura antica* II 1, Romae 1947, p. 25 sqq.; G. PERROTTA, *Cesare scrittore*, *Maia* I, 1948, p. 5-32; F. E. ADCOCK, *Caesar as Man of Letters*, Cantabrigiae 1956.

(3) *Suet. Caes.* 45, 1.(4) *Suet. Caes.* 55, 2.(5) *Aug.* 79, 1.

(6) De Augusti signis, quae quidem ad nostram aetatem pervenerunt, vide: O. BRENDEL, *Ikongraphie des Kaisers Augustus*, Norimbergae 1931; I. MONTINI, *Il ritratto di Augusto*, Romae 1938; F. FRIGERIO, *Augusto. Gesta e immagini*, in *Rivista archeologica dell'antica provincia e diocesi di Como*, 117-118, 1938-39; R. WEST, *Die röm. Porträtplastik* I, Monachi 1944, p. 101 sqq.

firma atque aegra fuit (1): pronuntiabat dulci et proprio quodam oris sono atque nonnunquam, infirmatis faucibus, praeconis voce ad populum contionatus est (2).

Nunc autem de singulis orationibus enucleatius nobis est dicendum, in quibus percensendis temporum ordinem sequemur.

1. **Laudatio funebris Iuliae aviae.** — Mature admodum Augustus ad publice dicendum prodiit, neque id sua sponte, sed temporum necessitate impulsus. Cum enim anno 703/51 supremum obiisset diem Iulia, C. Iulii Caesaris soror minor natu et mater Atiae, quae Augustam peperit, puer tunc duodecimum annum (3) agens eam pro rostris laudavit valdeque probabilis est coniectura Augustum non proprio ipsius animi impetu aut suo in aviam, tenerae quidem pueritiae suae educatricem, amore, sed avunculi magni consilio et auctoritate permotum illius matronae pro rostris laudandae munus suscepisse. Veri enim simillimum est Iulio Caesari haud parum cordi fuisse ut sororis suae nepos, qui tam insignem de se iam spem movisset quemque ipse in

(1) Suet. *Aug.* 79-81.

(2) Suet. *Aug.* 84, 2.

(3) Haec est cum Suetoni (*Aug.* 8, 1) sententia, tum etiam Quintiliani (XII 6, 1): Nicolaus autem orationem ab Augusto nono aetatis anno habitam esse tradit eiusque testimonium utpote scriptoris aequalis, hanc habuit vim, ut quidam viri docti in Suetonio *decimum annum agens pro duodecimum a. a.* et in Quintiliano *decem annos natus pro duodecim a. n.* corrigendum censerent. Sed multo probabilius est (cf. BLUMENTHAL, *Die Autobiographie des Augustus in Wien. St.* XXXV, 1913, p. 123 adnot.) Nicolaum cum multa alia declamatorie augeret, etiam in hac re prudentem scientemque numerum ementitum esse et, quo maior fieret Augusti laus, scripsisse istam contionem funebrem a puero vixdum decenni habitam esse maximis audientium clamoribus et plausu; minimeque videtur probanda coniectura quam A. VON GUTSCHMID protulit (*Kleine Schriften* V, Lipsiae 1894, p. 540): 'vermuthlich verwechsette Nikolaos diesen Fall mit der Laudatio, die Tiberius neunjährig seinem leiblichen Vater hielt'.

familiam nomenque adsciscere constituisset, quam maturime populo Romano innotesceret, maximeque eius intererat ut gens Iulia, quam ipse aliquot annis ante magnis in contione extulerat laudibus (1), quocumque vel a puero celebraretur modo.

Eam autem laudationem Augustus non suo ingenio composuisse sed adiutore usum esse aliquo e praeceptoribus suis veri est simillimum; neque a vero abhorreere videtur gentem Iuliam in ea summis laudibus celebratam eiusque generis antiquitatem nobilitatemque praedicatam esse, sicut Caesarem in Iulia amita laudanda fecisse compertum habemus, iisque omnibus avunculi ipsius laudes intextas esse, quem orator duodecim annos natus patris loco coleret.

2. **Contio ad populum.** — Primam ad populum orationem habuit Augustus cum, accepto Caesaris necis suaeque adoptionis nuntio, Apollonia profectus, Romam exeunte anni 710/44 mense Aprili ingressus est atque hereditate adita nomineque Caesaris sumpto, a L. Antonio, tribuno plebis, in contionem productus, post idus Maias eiusdem anni (2), duodeviginti annos natus, verba apud populum fecit eique ludos Veneri Genetrici a Iulio Caesare apud Pharsalum consecratos mox se facturum et simul pecuniam se numeraturum, quam populo viritim dictator legasset, pollicitus est; eamque orationem exemplaribus divulgatam in omnium venisse manus et Ciceronis testimonio (3) constat et per se veri est simillimum, cum ipsius Octaviani plurimum interesset ut ea, quae populo de instituto suo dixisset quaeque ei promisisset, quam plurimis innotescerent (4).

3. **Contio ad populum.** — Aliam Octavianus orationem, ut populum sibi conciliaret eumque ab Antonio, quocum

(1) Suet. *Caes.* 6, 1: cf. *ORF*³ p. 389 sq.

(2) Cf. M. A. LEVI, *Ottaviano capoparte*, I, Florentiae 1933 p. 66, 2.

(3) *Infra*, p. 73, fr. II, III, IV.

(4) Cf. DRUMANN-GROEBE IV p. 267; GARDTHAUSEN I p. 53.

iam dissidere coeperat, abalienaret, mense Octobri eiusdem anni (710/44) habuit. Cum veteranis enim in Campania collectis Romam contendit eique obviam profectus est Ti. Canutius, tribunus plebis, inimicus Antonio ideoque Octaviano amicus, voluntateque eius cognita, eum in urbem introduxit atque ad aedem Castoris in contionem produxit. Prior Canutius in Antonium invectus est; tum ipse Octavianus dicere orsus, patris memoriam eiusque rerum gestarum renovavit, modeste de se locutus, iniuriasque ab Antonio acceptas commemoravit, propter quas etiam exercitum illum suae custodiae causa contraxisset, denique patriae operam suam et obsequium pollicitus est. Eam quoque orationem vulgatam esse, Cicero (*Att.* XVI 15, 3) certiores nos facit, qui eam in manibus habuit.

4. *Contio ad populum.* — Postquam, anno 718/36, bellum cum Sex. Pompeio per intervalla atque ancipiti fortuna inde ab anno 712/42 gestum confectum est, Romam reverso Octaviano senatus immodicos decrevit honores, ipsi permittens ut arbitrato suo vel omnes acciperet vel quotquot ipsi accipere placeret; itumque est ei obviam quam longissime a coronatis tam senatoribus quam populo, qui eum ad templa primum, deinde domum deduxerunt (Idibus Nov. anni 718/36). Postero die senatum populumque in contionem extra pomerium Octavianus convocavit, atque oratione pro contione habita, res a se gestas ordine recensuit administrationemque reipublicae iam ex quo ad eam admotus est usque ad illum diem: pacem et tranquillitatem denuntiavit post sublata funditus bella civilia et tributa nondum reddita debitoribus condonavit, pariterque publicanorum aes alienum remisit et mercedes nondum persolutas pro locationibus publicis. Ex honoribus autem sibi per senatus consultum oblatis accepit ovationem et annua sollemnia diebus victoriae, auratamque in foro statuam triumphali habitu, quo urbem esset ingressus, insistentem columnae rostris navium cinctae. Quam orationem a se ipso conscriptam, teste Appiano (*b. c.* V 130), in vulgus deinde edidit.

5. *Oratio graeca Alexandriae habita.* — Cum Alexandriam anno 724/30 Augustus cepisset, victor in urbem ingressus est, cum Ario philosopho colloquens dextramque eius tenens, ut is eximio in honore ab ipso habitus, statim in oculis civium admirationeque esset. Gymnasium deinde ingressus, Alexandrinos metu consternatos et ad terram collapsos surgere iussit ad eosque orationem habuit, omni se culpa populum liberare dicens, primum ob Alexandrum urbis conditorem, deinde ob admirabilem urbis pulchritudinem, tertio ob gratiam qua Arius amicus apud ipsum floreret. Haec Plutarchus (*Ant.* 80, 1-2). Sed tres causas ob quas fore ut Alexandrinis ignosceret eorumque urbi parceret pollicitus est, non sine aliqua varietate veteres rerum scriptores proferunt (cf. testimonia infra collecta). Hanc orationem graece eum habuisse testatur Dio (LI 16, 4), quo facilius ab Alexandrinis posset intellegi. At si Suetoni (*Aug.* 89, 1) testimonium spectamus, Augustum non tam linguae graecae peritum fuisse, ut aut loqueretur expedite aut componere aliquid auderet, et quae occasio ferret, latine eum scribere vertendumque alii dare solitum esse, valde probabile videbitur orationem ab Augusto latine scriptam, ab Ario philosopho, illius expeditionis comite, in graecum conversam fuisse sermonem: idque hoc veri est similis, quod in urbe litterarum laude florentissima Augustus locuturus esset virisque ornata doctissimis.

6. *Laudatio funebris M. Claudii Marcelli.* — Habita est a. 731/23, quo anno Marcellus, Octaviae minoris, Augusti sororis, filius, quem ob maternas virtutes Augustus adoptaverat cuique anno 729/25 filiam suam Iuliam admodum iuvenem uxorem dederat, inexorabili morbo confectus supremum diem Baiis obiit, cum vigesimum ageret annum, atque immatura eius miseraque mors ab omnibus complorata atque defleta est, cum ingentem de se expectationem eximius ille iuvenis movisset (1). Corpus eius Romam

(1) Vide clarum illum Vergilii de Marcello locum (*Aen.* VI 860 sqq.) de quo Servius (*ad Aen.* VI 862): *constat hunc librum*

ingenti pompa allatum, in Campo Martio sepultum est. Augustus summo affectus dolore, laudationem funebrem dixit, in qua prisca Marcellorum gentis decora eorumque res praeclare gestas repetivit praecipueque fortissimi illius M. Claudii Marcelli quinquies consulis, qui primus ad Nolam Hannibalem vinci posse docuisset Syracusasque expugnasset atque per insidias Numidarum Hannibalis anno 546/208 periisset (1); id quod e duobus Plutarchi locis colligi licet (2). Deinde adulescentem ipsum tot virtutibus iisque tam praeclaris ornatum laudavit eiusque immaturam deploravit mortem. Orationem ab Augusto scriptam divulgatamque fuisse ex ipsis, quos supra commemoravimus, Plutarchi locis efficiamus oportet.

7. Laudatio funebris M. Vipsanii Agrippae. — M. Vipsanius Agrippa, qui ignobili loco natus ob res praeclare bello gestas maxime insignis factus erat (3) atque sumptuosis splendidisque aedificiis non modo Romam, sed alias quoque exornaverat urbes, quem Augustus mortuo Marcello generum sumpserat, cum ex Pannonia a. 742/12 reverteretur, in Campania morbo correptus mense Martio eiusdem anni obiit. Corpus eius Romam Augustus afferri iussit atque laudationem funebrem in foro habuit, in qua cum de mortui obscuris maioribus nihil esset quod praedicaretur, illius

tanta pronuntiatione Augusto et Octaviae esse recitatum, ut fletu nimio imperarent silentium: nisi Vergilius finem esse dixisset etc. Cf. PROP. III 18; HOR. *carm.* I 12, 45 sqq.; TAC. *ann.* II 41, 3; SEN. *dial.* VI 2, 3.

(1) Cf. DRUMANN-GROEBE II p. 327 sq.

(2) Quod PLUT. *Marc.* 30, 5 (vide infra p. 76) narrat, id Augustum in laudatione funebri Marcelli nepotis rettulisse, primus HEEREN (*De fontibus et auctoritate vit. parall. Plutarchi*, Gottingae 1820) suspicatus est eiusque coniecturam tamquam probabilem omnes, qui secuti sunt, viri docti acceperunt. Item apud PLUT. *comp. Pel. cum Marc.* 1, 8 eandem Augusti laudationem funebrem intellegamus oportet.

(3) SERV. *ad Verg. Aen.* VIII 682; TAC. *ann.* I 3, 1; cf. HOR. *carm.* I 6.

tantum egregii viri res domi bellicae praeclare gestas eum extulisse veri simile est. Quod Dio (LIV 28, 3) addit, velamentum inter se atque cadaver oratorem interposuisse, hac de causa factum esse credendum est, quod Augustus tum pontifex maximus esset, quem cadaveris adspetus poluisset (1).

8. Laudatio funebris Octaviae sororis. — Anno 743/11, teste Dione Cassio (LIV 35, 4), cum Octavia Augusti soror obiisset, duplicis laudationis honor ei tributus est: Augustus enim eam pro aede divi Iulii laudavit, Drusus pro rostris. Dubitatum est utrum Octavia maior, Octavii ex Ancharia filia (2), an Octavia minor, quam Atia, Augusti mater, genuit, intellegenda sit: cum enim Suetonius (3) dicat Augustum Octaviam sororem quarto et quinquagesimo aetatis anno, i. e. a. 745/9, amisisse eique maximos tribuisse honores, contendit Weichert apud Dionem Octaviam maiorem, apud Suetonium Octaviam minorem intellegendam esse: alteram anno 743/11 mortuam esse, alteram anno 745/9. At Drumann, temporum rationibus diligenter examinatis, Weichert opinionem funditus subruit demonstravitque apud utrumque scriptorem de eadem Octavia minore sermonem esse, anno 743/11 mortua; quod autem Suetonius ait, Augustum eam anno 745/9 amisisse, errori tribuendum esse (4). Cuius sententiam plane accipere possumus. Neque mirandum est duplicem Augusti sorori laudationem tributam esse, cum nobilissima ea inter Romanas matronas fuisset, sicut omnes contestantur veteres scriptores, atque cum eximia pulchritudine tum etiam praeclaris animi ingeniique virtutibus optimisque suis moribus omnium admirationem movisset (5).

(1) Cf. SEN. *dial.* VI 15, 3; FR. VOLLMER, *Laudationum funebrium Rom. hist.*, in *Neue Jahrb. für Philol.* XVIII Suppl. 1892, p. 461 adn.

(2) Suet. *Aug.* 4, 1.

(3) *Aug.* 61, 2.

(4) DRUMANN-GROEBE IV p. 251 adn.

(5) Cf. de ea DRUMANN-GROEBE IV p. 250 sqq.; MALCOVATI,

9. *Laudatio funebris Neronis Claudii Drusi.* — Anno 745/9 Drusus, Tiberii Claudii Neronis et Liviae filius, iuvenis eximius cum corporis tum praecipue animi ingenique virtutibus ornatus (1), cum in Chattorum terram incurrens usque ad Sueborum fines progressus esset atque in Cheroscos postea conversus ad Albim flumen pervenisset (2), cum denique totam fere Germaniam in potestatem populi Romani redeisset, in reditu, antequam ad Rhenum perveniret, ex fractura cruris trigesimo die postquam ex equo delapsus erat, obiit (3) triginta annos natus (4). Tiberius frater, ubi de tristi eius casu certior factus est, quam citissime properans vixdum spirantem invenit ac mortuum pedibus Romam comitatus est, portantibus municipiorum coloniarumque nobilissimis viris (5). Augustus ipse, quamvis asperrima hieme, usque ad Ticinum funebri pompae obviam ierat (6). Romae autem duplex mortui laudatio habita est: altera a Tiberio in foro, altera ab Augusto in circo Flaminio; quae verba autem Suetonius (*Claud.* 1, 5) ex Augusti oratione refert, ex ultima huius parte sumpta videntur, cum laudationes funebres finire solitae essent decorum invocatione (7).

10. *Oratio in senatu habita.* — Anno 748/6 Tiberius Augusti privignus duobus consulatibus totidemque ornatus triumphis et tribuniciae potestatis consors in quinquennium eo ipso anno ab Augusto factus, integra etiam aetate validisque viribus repente Romam relinquere et longe sece-

Cultura e letteratura nella « domus Augusta », in Annali della Università di Cagliari XI, 1941, p. 17 sqq.

(1) VELL. II 97, 2 sq.; cf. MALCOVATI *ibid.* p. 33 sq.

(2) DIO CASS. LV 1, 2.

(3) LIV. *epit.* 142. Cf. OVID. *fast.* I 597; DIO CASS. LV 1, 4; SÜET. *Claud.* 1, 3.

(4) VELL. II 97, 3.

(5) LIV. I. c.; SEN. *dial.* VI 3, 1; cf. DIO CASS. LV 2, 1; SÜET. *Claud.* 1, 3.

(6) TAC. *ann.* III 5, 1; DIO CASS. I. c.

(7) Cf. VOLLMER o. c. p. 484.

dere constituit: seu Iuliae moribus taedio adductus, quam post Agrippae mortem iubente Augusto in matrimonium duxerat dilectissima uxore Agrippina cum acerbo dolore repudiata, seu aegre ferens quod ab Augusto Gaius et Lucius Caesares palam sibi praeferrentur. Hanc consilii sui causam ipse sed postea attulit, cum diceret noluisse se praesentem Augusti liberis obstare vel obtreptare videri suaque sponte cessisse exemplo Agrippae qui Marcello ad munera publica admoto Mytilenas secessisset: illa autem vera intimaque abscedendi causa fuisse videtur. Tum vero honorum laborumque satietatem et requietis desiderium praetendens commeatum a socero eodemque vitrico petiit: qui non modo eum se daturum negavit sed in senatu deserere se conquestus est. Neque hoc tamen nec matris preces pervicerunt ut ab incepto desisteret: quin pertinacius familiaribus retinentibus cum cibo per quattuor dies abstinuisset, venia tandem abunde impetrata Rhodum profectus est (1).

11. *Oratio in senatu habita.* — Anno 748/6 Augustus Tiberio privigno potestatem tribuniciam in quinquennium contulerat (2); iterum a. 4 p. Chr., quo anno, cum Gaius Caesar mortuus esset, princeps privignum adoptavit, senatum rogavit, ut eidem tribunicia potestas in decennium daretur (3): cum autem satis compertum haberet minime eum apud senatum populumque ob arroganciam suam morumque asperitatem gratiosum esse, excusare eum conatus est oratione, quam ad senatum habuit.

12. *Oratio de statu municipiorum.* — A Frontino modo commemoratur, cum de iure territorii disputet (4): omisit

(1) SÜET. *Tib.* 10; VELL. II 99, 1-2; DIO CASS. LV 9, 7; cf. TAC. *ann.* I 53, 1; E. CIACERI, *Tiberio successore di Augusto*, Mediolani 1934, p. 43 sq.

(2) DIO CASS. LV 9, 4; SÜET. *Tib.* 9, 3.

(3) DIO CASS. LV 13, 2; cf. VELL. II 103, 3; TAC. *ann.* I 10, 7. Suetonius tamen (*Tib.* 16, 1) refert a. 757/4 Tiberio tribuniciam potestatem in quinquennium renovatam esse: vide quae disputavit MOMMSEN, *Res gestae divi Augusti*², p. 31.

(4) FRONTIN. *de contr.* p. 7 THULIN.

Meyer et in prima et in altera oratorum Romanorum reliquiarum editione. In senatu ab Augusto eam habitam esse, veri est simillimum: quo autem tempore, perdifficile est coniectare ideoque postremam orationum edidimus. Quod ad argumentum pertinet, confirmasse ea videtur Augustus civitatibus, ut recte olim Goesius (1) opinatus est, territoria in quorum essent possessione (2).

Superest ut de orationibus, quas tamquam ab Augusto pronuntiatas rerum scriptores finxerunt, breviter mentionem faciamus. Appianus (*b. c.* III 86 sq.) narrat post pugnam Mutinensem senatum legatos ad legiones victrices misisse, qui earum in Octavianum fidem labefactarent: cum autem milites noluisent ἀνευ τοῦ Καίσαρος legatorum mandata audire, apud milites hunc contionatum esse et iniurias sibi a senatu illatas enumerasse eorumque fidem atque auxilium implorasse. Sed Augusti verba ab Appiano ficta esse manifestum est. Item orationes, quas Appianus (*b. c.* IV 126 ad milites; V 28 ad senatum et equites) Augusto tribuit, commenticiae existimandae sunt.

Nonnullae huiuscemodi orationes a Dione Cassio proferruntur: narrat enim Dio (XLVI 46) Augustum inito consulatu magno gaudio affectum esse, eo magis quod, cum in Campum Martium se conferret, sex vultures apparuissent: paulo post cum apud milites contionaretur, duodecim alios vultures eum vidisse. Sed ista ad milites contio haud dubie a Dione ficta est, cum nemo rerum scriptorum, qui de omine illo mentionem faciunt (3), ullam Augusti ad milites illo tempore contionem commemoret.

(1) *Rei agrariae auctores legesque variae cura* WILHELMI GOESII, Amstelodami 1674, p. 145.

(2) Quae vero verba Augustus supremo vitae suae die, cum mortem iam adventantem sentiret, admissis amicis, teste Suetonio (*Aug.* 99, 1), pronuntiavit, haud mihi videntur appellari posse *suprema oratio*, ut L. CANTARELLI volebat (*Boll. di filol. class.* XXIX, 1922, p. 61 sq.), sed inter dicta et apophthegmata potius referenda esse (n. XLIV).

(3) Suet. *Aug.* 95; App. *b. c.* III 94; Iul. Obs. 69.

Item ante pugnam Actiacam Dio Cassius inducit Augustum longissima atque verbosissima oratione, quae ab initio cap. 24 libri L usque ad finem cap. 30 extenditur, milites alloquentem: quae oratio sine dubio ficta iudicanda est, cum sane a vero abhorreat Augustum in tanto rerum discrimine longam illam orationem habere potuisse: quod si veri simile videtur eum ante pugnam paucis milites hortatum fuisse ut strenuos atque fortes se praestarent, nullo pacto credere possumus orationem ab eo scriptam fuisse atque ad Dionem pervenire potuisse.

Denique Dio (LVI 1) narrat, cum Tiberius a Pannonia (a. 9 p. Chr.) redisset atque Augustus ludos circenses praebuisset, magno opere equites contendisse ut lex περί τῶν μήτε γαμούντων μήτε τεκνούντων (1) aboleretur: Augustum itaque in forum equites omnes convocasse atque seorsum caelibes, seorsum maritos et patres familias convenire iussisse: cum autem plane horum paucitas prae illorum multitudine pateret, magno angore Augustum permotum separatim ad utrosque locutum esse, cum primum (c. 2-4) maritos atque patres familias laudaret, deinde (c. 4-10) caelibes vehementer reprehenderet. Sed haec quoque orationes magna verborum copia ubertateque insignes, quarum unus Dio auctor est, nullum est dubium quin ab eodem rhetorice confictae sint.

Item minime referendos esse censuimus sermones, quos latius fusiusque Dio (LV 14 sqq.) atque Seneca (*de clem.* I 9) memoriae prodiderunt, quamvis testetur Suetonius (*Aug.* 84, 2) sermones cum singulis atque etiam cum Livia graviore non nisi scriptos et e libello eum habuisse.

* * *

Rescripta Bruto de Catone Caesarem Augustum composuisse testatur Suetonius (*Aug.* 85, 1); quod opus non animi vel exercitationis causa ab eo compositum fuisse veri simile

(1) Fuisse haec videtur lex de maritandis ordinibus, quam Suetonius (*Aug.* 34, 1) memorat.

videtur, sed ut regendae rei publicae rationibus inserviret. Satis enim constat Catonem Uticensem, acerrimum illum veteris reipublicae defensorem, rebus in discrimen extremum adductis, Uticae sibi ipsum mortem conscivisse (a. 708/46), ne libertatis interitum vita superaret neu vultum tyranni aspiceret; voluntaria autem eius mors compluribus in utramque partem scriptis occasionem praebuit, cum alii, liberae reipublicae amatores, in caelum eum laudibus extollerent eumque tamquam heroem divino prope cultu prosequerentur, alii contra eius pervicaciam obstinationemque condemnarent eiusque gloriae obtrectarent. Cicero enim Catonis laudationem scripsit eiusque exemplum et Brutus et M. Fadius Gallus et Munatius Rufus secuti sunt: sed contra Ciceronis laudationem Catonis vituperationem Hirtius, Caesaris hortatu, composuit ad illumque misit; tum Caesar ipse in certamen descendens Anticatores scripsit, in quibus veri simile est quaecumque adversario nimium ab iis laudato crimini dari possent, eum collegisse (1). Itaque Augustus, quamvis promptus paratusque suapte indole esset ad veras hominum virtutes perspicendas meritamque laudem iis tribuendam, non poterat aequae et benigne de Catone Uticensi existimare, pertinacissimo atque pervicacissimo illo Iulii Caesaris omniumque regnandi cupidorum adversario; impulsus igitur fortasse aliquo eius aetatis scripto Catonem tamquam veteris liberaeque reipublicae defensorem praedicante aut saltem huiuscemodi studiis sibi infestis permotus 'rescripta Bruto de Catone' iam senior (2) composuit, de quibus cum nulla apud veteres rerum scriptores, praeter Suetonium, mentio fiat, iudicium nullum proferri potest; cum autem Bruto ipsi Augustum

(1) De his ad Catonis mortem pertinentibus scriptis cf. SCHANZHOSIUS, *Gesch. der röm. Litt.*, I p. 334 sqq.

(2) Cf. L. ROSS TAYLOR, *Party Politics in the Age of Caesar*, University of California Press 1949, p. 240, 75; cf. J. CARCOPINO in *Rev. Et. Anc.* LIII, 1958, p. 154 sq.

rescripsisse ex operis indice appareat susceptique operis consilium ex ipsa libelli fronte eluceat, pugnacem et quasi bellatoriam libri fuisse naturam efficiamus licet.

* *

Cum Augustus omnino vitam suam ac studia ad suae aetatis mores aptare vellet, consuetudini atque inclinationi temporis sui obsecutus etiam philosophiae operam dedit; hortationes enim ad philosophiam eum scripsisse testatur Suetonius (*Aug.* 85, 1), quibus Arium philosophum Augusti magistrum et contubernalem manum commodasse Diels (1) suspicatus est. Utrum Ciceronis Hortensium Augustus imitatus sit, sicut Diels coniecit, an potius Antisthenis, Persei atque Posidoni προτρεπτικοί exemplar illi praebuerint, ut Hirzel (2) opinatus est, minime diiudicari potest, eum philosophicum id Augusti opus unus Suetonius, inter veteres rerum scriptores, commemoraverit indicemque tantum memoriae prodiderit; si autem consideraverimus Augusto magnam cum Cicerone necessitudinem et epistularum assiduitatem fuisse, si praeterea locum quandam Plutarchi spectaverimus, qui Augustum inducit nepotem ad Ciceronis libros legendos his verbis hortantem: 'λόγιος ἀνὴρ, ὃ παῖ, λόγιος καὶ φιλόπατρις' (3), Dielsi opinio potior videbitur.

* *

Varium et multiplex ingenium Augustum habuisse et ex iis quae disputavimus patet et hac re confirmatur, quod etiam geographicis rebus aliquid operae et temporis eum tribuisse constat: Augustus enim primus orbem terrarum pictum Romanis spectandum proposuit, opere quidem

(1) H. DIELS, *Doxographi Graeci*, p. 81; cf. P. HARTLICH, *De exhortationum a Graecis Romanisque scriptarum historia*, in *Leipz. St.* XI, 1889, p. 305.

(2) R. HIRZEL, *Der Dialog*, II, p. 2.

(3) PLUT. *Cic.* 49, 5.

ab Agrippae sorore inchoato: nam cum hic, teste Plinio (1), magnum illud quod susceperat opus morte correptus (anno 742/12) perficere non potuisset, soror eius et postea Augustus id ad finem perduxit *ex destinatione et commentariis* eius; quorum verborum priore significari videtur, ut iam docuit Riese (2), indicasse Agrippam qua ratione quoque consilio tabulam confici vellet; alterum non solum de libro aliquo (3) sed fortasse de testamento eius intellegendum esse idem Riese censuit, quo Pollae sorori porticus aedificandae munus detulerit, quod Augustus postea susceperit.

Quando id opus perfectum sit, pro certo affirmare minime possumus, sed e Dionis testimonio (LV 8, 3) effici licet anno 747/7 nondum id esse perfectum; quod tamen ante Augusti mortem evenisse et per se liquet et contendit Müllenhoff (4), siquidem anno fere 15 p. Chr. Strabo ea scripserit quae in libro II p. 120 legantur.

(1) PLIN. *n. h.* III 17.

(2) *Geogr. lat. min.* p. VII sq.

(3) De Agrippae commentariis vide sis quae disputaverint: CHR. PETERSEN, *Die Kosmographie des Kaisers Augustus und die Commentarien des Agrippa*, in *Rhein. Mus. N. F.* VIII, 1853, p. 161-210; 377-403; IX, 1854, p. 85-106; 422-442; E. SCHWEDER, *Ueber die Weltkarte und Chorographie des Kaisers Augustus*, in *Philol.* LIV, 1895, p. 328 sqq.; A. KLOTZ, *Quaestiones Plinianae geographicae*, Berolini 1906 (*Quellen und Forschungen zur alten Geschichte und Geographie XI*), p. 13 sqq.; *Gött. G. Anz.* 1910 p. 406; *Beiträge zur Analyse des geogr. Kapitels im Geschichtswerk des Orosius, Charisteria Rzach* p. 120; *Die geographischen Commentarii des Agrippa und ihre Ueberreste*, in *Klio XXIV*, 1931, p. 38-58; 386-466; D. DETLEFSEN, *Ursprung, Einrichtung und Bedeutung der Erdkarte Agrippas*, Berolini 1906 (*Quellen und Forschungen XIII*), p. 57 sqq.; *Die Anordnung der geogr. Bücher des Plinius und ihre Quellen*, Berolini 1909 (*Quellen und Forschungen XVIII*), p. 11; R. UHLEN, *Zur Ueberlieferung der Weltkarte des Agrippa*, *Klio XXVI*, 1933, p. 267-278; BARDON, *Litt. lat. inc.*, p. 103-105.

(4) K. MÜLLENHOFF, *Ueber die römische Weltkarte, Deutsche Altertumskunde III*, Berolini 1892, p. 302.

Haec tabula magnificum fuisse opus videtur: totus enim orbis terrarum inerat tunc quidem cognitus, in quasdam divisus provincias, fines earum et insularum secundum quattuor caeli partes descripti, mensurae in longitudinem et latitudinem dimensae: intervalla locorum atque insularum inter se et a proximis terris milibus passuum descripta, notulae deinde paucae, ut fragmenta quae Riese (1) collegit, ostendunt: tantumque opus quod ut gloriae populi Romani, tot terrarum domini, inserviret et cognitionem terrarum apud plerosque promoveret Agrippa inchoaverat atque fortasse ut itinera suscipientibus auxilio esset, summae posteris utilitati fuit (2).

Sed alius Plinii superest locus (*n. h.* III 46) ex quo intellegimus Plinium Italiam describentem, librum quendam Augusti inspexisse, in quo:

I regiones undecim, in quas Italia discripta erat, singulatim depingebantur;

II uniuscuiusque regionis urbium laterculi litterarum ordine dispositi proferebantur;

III coloniae a ceteris oppidis distinguebantur (3).

(1) O. c. I sqq.

(2) Vide, praeter ea quae supra memoravimus opera: F. PHILIPPI, *Zur Rekonstr. der Weltk. des Agrippa*, Marburgi 1880; *Hist. Unters. Arnold Schäfer dargebracht*, Bonnæ 1882, p. 239 sqq.; K. MÜLLENHOFF, *Ueber die Weltkarte und Chorographie des Kaisers Augustus, Deutsche Altertumskunde III* p. 212 sqq.; *Ueber die römische Weltkarte*, *ibid.* p. 298 sqq.; E. SCHWEDER, *Ueber die Weltkarte und Chorographie des Kaisers Augustus*, in *Philol.* LIV, 1895, p. 319 sqq.; A. BERTHELOT, *L'Europe occidentale d'après Strabon et Agr.*, in *Revue Arch.* VI 1, 1933, p. 9 sqq.; KUBITSCHKE in *R. E.* IX 2308 sqq.; X 2100 sqq.; GISINGER, *ibid.* Suppl. IV 645 sqq.; C. BLÜMLEIN in *Burs. Jahresb.* CXCVII, 1923, p. 69; P. SCHNABEL, *Die Weltkarte des Agrippa*, *Philol.* XC, 1935, p. 405-440.

(3) O. CUNTZ, *De Augusto Plinii geographicorum auctore*, Bonnæ 1888, p. 5; R. THOMSEN, *The Italic Regions from Augustus to the Lombard Invasion*, Hauniae 1947, p. 17 ss.

Quae omnia ex Plinii Italiae descriptione colligi possunt, qui accurate regiones disiungit, earum laterculos profert litterarum plerumque ordine dispositos, colonias multas commemorat, eas quoque in litteras plerumque digestas. Hoc etiam discimus, civitates italicas apud Augustum non urbis sed incolarum nomine, quod Graeci ἐθνικόν vocant, commemoratas fuisse. De quo Augusti opere, cui *chorographia* index fuisse videtur (1), plurimae fuerunt virorum doctorum disputationes atque coniecturae, quas minime e re hic percensere mihi visum est; haec tantum dicenda videntur, Augusti opus non Italiam modo complexum esse, sed provincias quoque, quod et Detlefsen (2) de Hispania et Cuntz (3) de ceteris regionibus demonstraverunt, later-

(1) Cf. *Divis. orbis terr.* I (RIESE, *Geogr. lat. min.* p. 14). JULIANI vero coniectura (*Le 'breviarium totius imperii' de l'empereur Auguste*, in *Mélanges d'archéologie et d'histoire* III, 1883, p. 158 sqq.) chorographiam idem fuisse atque breviarium totius imperii, de quo v. infra p. 102, minime probari posse videtur. — Quod vero fragmentum Augusti chorographiae Annius Viterbensis edidit (*Itinerarii fragmentum sub Antonini Pii nomine editum cum Aethici cosmographia a Josia Simlero*, Basil. 1575 p. 295: *Divus Augustus, quamvis totum orbem recte dividerit, ubi ait: Orbis totus dividitur in partes tres, Europam, Africam et Asiam, quae fere est dupla ad quamlibet duarum, in descriptione tamen locorum orbis multa loca memoratu digna siluit, quaeve in praecipuis itineribus oppida et urbes occurrant, quae maxime tum militibus tum peregrinantibus tum historicis non parum proficiunt, neglecti*) nullam habere veritatis notam demonstratum est: cf. *Itinerarium Antonini Augusti et Hierosolymitanum ex libris manu scriptis ediderunt* G. PARTHEY et M. PINDER p. 259.

(2) D. DETLEFSEN, *Varro Agrippa und Augustus als Quellen-schriftsteller des Plinius für die Geographie Spaniens*, in *Commentationes Philologicae in honorem Th. Mommseni*, Berolini 1877 p. 23-34.

(3) O. CUNTZ, *De Augusto Plinii geographicorum auctore*, p. 6 sqq.; *Agrippa und Augustus als Quellenschriftsteller des Plinius in den geographischen Büchern der naturalis historia*, in *Neue Jahrb. für Philol.* XVII Suppl. 1890 p. 475 sqq.

culisque, qui in eo exhibebantur, tabulas censorias subiisse (1). Ex hoc opere, quod libri formam habuisse videtur (2), multa qui secuti sunt rerum geographicarum scriptores, praesertim Plinius, hauserunt (3).

Quod vero ad *libros coloniarum* pertinet (4) (*incipit liber Augusti et Neronis Caesaris* est in codice, cuius in fine nominantur *libri Augusti et Neronis Caesarum sed et Balbi mensoris, qui temporibus Augusti omnium provinciarum et formas civitatum et mensuras compertus in commentariis*

(1) O. CUNTZ, *De Augusto Plinii geogr. auctore*, p. 48 sq.; TH. MOMMSEN, *Die italischen Regionen*, in *Kiepert-Festschrift*, Berolini 1898, p. 101 sqq.; iterum in *Ges. Schr.* V, Berolini 1908, p. 275 sqq.; A. KLOTZ, *Quaest. Plin. geogr.* p. 89 sqq.

(2) G. OEHMICHEN, *Die Descriptio totius Italiae des Kaisers Augustus, Plinianische Studien*, Erlangae 1880, p. 48 sqq.; O. CUNTZ, *De Augusto Plinii geogr. auctore*, p. 49; DETLEFSEN, *Ursprung* etc. p. 89 sq.

(3) Cf. C. JULLIAN, *Les transformations politiques de l'Italie sous les empereurs romains* (p. 78-86: *L'Italie divisée en régions*), Paris. 1884; O. CUNTZ, *Agrippa und Augustus* etc.; K. MÜLLENHOFF o. c. p. 232; E. SCHWEDER, *Ueber die Weltkarte und Chorographie des Kaisers Augustus*, in *Neue Jahrb. für Philol.* CXLV, 1892, p. 113 sqq.; idem in *Philol.* LIV, 1895, p. 319-344; 528-559; LVI, 1897, p. 130-162; D. DETLEFSEN, *Die Beschreibung Italiens in der Naturalis Historia des Plinius und ihre Quellen*, Lipsiae 1901 (*Quellen und Forschungen* 1); W. BARTHEL, *Zur Geschichte d. röm. Städte in Africa*, Gripeswoldae 1904 (p. 23-40: *Augustus als Quelle der Plinianischen Darstellung der Provinz Africa*); A. KLOTZ, *Quaest. Plin. geogr.*; C. PASCAL, *La descrizione d'Italia di Plinio il vecchio tradotta da LUDOVICO DOMENICHI* (Pubblicazioni dell'Atene e Roma, Sezione di Milano, n. 10), Mediolani 1920; L. TRAUBE, *Zur Chorographie des Augustus*, in *Vorlesungen und Abhandlungen* III, Monaci 1920, p. 17 sqq.

(4) C. LACHMANN, *Gromatici veteres*, Berolini 1848, I p. 209-262; E. PAIS, *Storia della colonizzazione di Roma antica*, Romae 1923.

contulit et legem agrariam per diversitates provinciarum distinxit et declaravit) vide quae doctissime Mommsen disputaverit (1).

* * *

1. Quod ad Augusti historica opera pertinet, primum de *commentariis de vita sua* dicendum est: aliqua enim de vita sua soluta oratione, teste Suetonio (*Aug.* 85, 1) Augustus composuit, quam tredecim libris Cantabrico tenus bello nec ultra exposuit (2). Librorum numerus Sudaе quoque testimonio (s. v.) confirmatur, sed eorum index in controversia versatur, cum latini rerum scriptores alius alium indicem tradant (3), graeci autem, praeter Sudam, ὑπομνήματα id opus appellent (4). Videtur autem *commentarios vitae suae* vel *de vita sua* opus suum Augustum inscripsisse, fortasse etiam addidisse ad *Agrippam et Maecenatem* (cf. *Plut. comp. Dem. cum Cic.* 3, 1), quo maiorem rebus a se narratis fidem faceret easque utriusque amici testimonio confirmaret, atque simul ut in eos gratum significaret animum (5).

Cantabrico tenus bello nec ultra, teste Suetonio, vitam suam Augustus exposuit, itaque usque ad annum 729/25 (6),

(1) Apud eundem LACHMANNUM, *Grom. vet.* II p. 145-220; iterum in *Ges. Schr.* V p. 146-199.

(2) De hoc Augusti opere cf. H. PETER, *H. R. R. II*, p. LXXI-LXXVI; 54-64; F. BLUMENTHAL, *Die Autobiographie des Augustus*, *W. St.* XXXV, 1913, p. 113-130; XXXVI, 1914, p. 84-103; BARDON, *Empereurs et lettres*, p. 24; *Litt. lat. inc.* p. 99; MISCH, *Geschichte der Autobiographie*³, Bernae 1949, p. 268-82; H. HAHN, *Neue Untersuchungen zur Autobiographie des Kaisers Augustus*, *La Nouvelle Klio X*, 1958-60, p. 137-148; W. SCHMITTHENNER, *Augustus' spanischer Feldzug und der Kampf um den Prinzipat*, *Historia XI*, 1962, p. 29-85 (maxime p. 64: 'Die Rolle von Augustus' Autobiographie').

(3) SERV. ad *Verg. ecl.* 9, 47 in libro secundo de memoria vitae suae; ad *Aen.* VIII 696 in commemoratione vitae suae; DIG. XLVIII p. 24, 1 libro decimo de vita sua; PS.-PLIN. de *medic.* 1, 18 ex *commentariis Caesaris Augusti*; TERT. de *an.* 46 in vitae illius *commentariis*.

(4) PLUT. *comp. Dem. cum Cic.* 3, 1; *Brut.* 27, 3; *Ant.* 22, 2; APP. b. c. V 45; *Illyr.* 14.

(5) FLEW, *Quellenunters. zur Gesch. des Kaisers Hadrian nebst*

quo anno bellum ipse gerere desiit legatisque suis C. Antistio T. Charisio finiendum mandavit et quo iterum Ianum ab eo clausum esse constat (1): idque ex Appiani narratione, qui ex hoc fonte plura quam professus est hausit, confirmatur (2). Neque mirandum est Augustum rerum potitum, nondum quadragenarium, animum ad vitam suam scribendam induxisse, cum mos esset id proveciore demum aetate fieri; consideremus enim oportet Augustum, qui infirmus a puero et valetudinarius fuit, illo praecipue de quo agimus tempore in tam gravem incidisse morbum, ut in discrimine vitae versaretur (3); verique simillimum videtur eum omni longius vivendi spe abiecta, tum primum cogitationem de se rebusque a se gestis scribendi concepisse, ut suae apud aequales posterosque laudi atque famae consuleret. Multae enim res erant, quarum vehementer Augustum poeniteret, plurimumque eius intererat ut rerum a se gestarum causas rationesque explicaret, criminationes sibi illatas repelleret seu imminueret, quasdam res silentio oblitteraret, alias obscuraret aut efferret vel exornaret; praecipueque triumphatus memoriam atque proscriptionum, quas tum ipse

einem Anhang über das Mon. Anc. und die kaiserl. Autobiographien, Stratisburgi 1890, p. 108; KORNEMANN, *Die hist. Schriftstellerei des C. Asinius Pollio*, in *Jahrb. für klass. Philol.* XXII Suppl., 1895, p. 651; PETER, *H. R. R. II* p. LXXII; MISCH, *Gesch. der Autobiographie*³, p. 269; BLUMENTHAL, o. c. p. 114; cfr. GARDTHAUSEN I p. 862 sqq. Nulla prolata causa NISSEN (*Die litt. Bedeutung des Mon. Anc.*, in *Rhein. Mus. N. F.* XLI, 1886, p. 492), usque ad annum 727/27 i. e. usque ad principatum constitutum Augusti opus pervenisse suspicatus est.

(1) In indice rerum gestarum (13) Augustus Ianum ter se principe clausum esse perhibet, idque primum post bellum Actiacum a. 725/29 factum esse omnes contestantur veteres scriptores; item inter omnes convenit templum reseratum propter bellum Cantabricum a. 728/26 rursus clausum esse a. 729/25. Cf. *Res gestae divi Augusti*, ed. J. GAGÉ, Paris. 1935, p. 95.

(2) Cf. A. MIGHELI, *Le memorie di Augusto in Appiano Illyr.* 14-28, *Annali della Facoltà di Lettere di Cagliari XXI*, 1 1953, p. 197-217.

(3) SUET. *Aug.* 81, 1.

immitte immoderateque exercuerat, maxime eius referebat ut, si non omnino deleret, saltem mitigaret excusaretque.

Iis igitur adductus causis vicinaeque mortis metu, consilium de vita sua aliqua scribendi cepit idque ab eo priusquam in Asiam abiret (a. 732/22) factum esse videtur (1). In hoc opere Augustus temporis ordine (2) a natalibus suis exorsus vitam actam narravit breviterque primum de maioribus suis exposuit (fr. III), ut ignobilitatis opprobria refelleret, quae in ipsum cum alii tum in primis Antonius fuderant; fusius libentiusque de C. Octavio patre locutus est, sicut ex iis rerum scriptoribus, qui Augusti commentariis usi sunt, colligi potest; tum somnia atque omina diligenter prodidit, quae prius quam nasceretur et ipso die natali ac deinceps evenissent, quibus futura eius magnitudo portenderetur (fr. IV), seu vera seu ab eo ficta ut divino consilio se ortum demonstraret (3), dein pueritiam suam admiratione ab omnibus affectam in domo vitrici transactam procul dubio narravit (4) et sollicitum in ipsum amorem diligentissimasque curas avunculi, qui iam secum ipse puerum tot laudibus virtutibusque praeditum adoptare constituisset, et primum suum ad rem publicam aditum; totam denique vitam actam usque ad suum Apolloniam iter Caesaris necis nuntium in primo commentariorum libro eum complexum esse veri simile videtur. Quae autem audita avunculi nece Apollonia Romam redeunti evenissent quaeque reversus publice fecisset, eum in libro secundo fusius diligentiusque tractasse, fragmenta a nobis infra collecta ostendunt; copiose igitur et hereditatem aditam exposuit et ludos, quos Iulius Caesar ad Pharsalum consecraverat, a se editos et sidus crinitum, quod tum apparuit animamque patris Caesaris inter deorum immortalium

(1) Vide GARDTHAUSEN I p. 808 sq.

(2) Id plurimis de causis affirmari potest demonstravitque iam latius diffusiusque PLEW o. c. p. 109 sq. In indice autem rerum gestarum capitulatim res Augustus prosecutus est.

(3) PLEW o. c. p. 114 adnot.

(4) BLUMENTHAL o. c. p. 123.

numina receptam esse nuntiare visum est. Deinde iis qui secuti sunt libris omnes res a se gestas quaedam vel defendendo vel mutando vel augendo (1) exposuit, usque ad Cantabriam domitam Ianumque clausum. Nec modo res publicas in commentariis suis Augustus exposuit, sed etiam res ad vitam privatam domesticamque pertinentes tractavit criminibusque purgare conatus est, praecipueque eas, quae ipsi apud aequales opprobrio atque dedecori dabantur, ut divortium cum Scribonia factum Liviaeque coniugium, quod omnium indignationem atque reprehensionem in illum movisse constat. Denique magnum in Augusti commentariis locum omina somniaque obtinebant (2) eaque Augustum accurate et libenter narrasse nimiumque adeo in hoc fuisse non est cur miremur, cum religionibus superstitionibusque eum obstrictum fuisse cognitum habeamus (3).

Hoc Augusti historicum opus arte ex rhetorum disciplina petita ornatum, sicut orationes fictae ostendunt, quas narrationi, Caesaris exemplum secutus, inseruit (vide fr. XIII), sermonis elegantia atque nitore commendabatur, nec immerito iudicavit Peter (4) laudes, quas veteres rerum scriptores de Augusti polite eleganterque scribendi genere tradiderunt, ad commentarios praecipue spectare, cum in epistulis communi atque familiari sermone uti soleret; sed valde dolendum est unum tantum idque tenue eius in commentariis scribendi rationis documentum (fr. VI) superesse.

(1) BLUMENTHAL, *Wien. St.* XXXVI, 1914, p. 103: 'Wir werden mit dem Verfasser nicht rechten wie mit einem Historiker. Wer so Geschichte gemacht hat wie der Kaiser Augustus, hat schliesslich auch ein Recht darauf, gewisse Tatsachen zur Propagierung einer politischen Ansicht willkürlich zurecht zu rücken'.

(2) De omnibus in Augusti commentariis disputarunt PLEW o. c. p. 111 sqq.; GARDTHAUSEN I p. 497; MISCH o. c. p. 274 sq.; BLUMENTHAL *Wien. St.* XXXV p. 122.

(3) SUET. *Aug.* 91 sq.

(4) *H. R. R.* II p. LXXIII.

Ex hoc fonte multa veteres rerum scriptores hauserunt non semper ea, qua oporteret, cura atque prudentia usi; qua de re vide quid Peter (1) et post eum Blumenthal (2) disputaverint.

De tribus autem fragmentis mentionem faciamus oportet, quae a Petero edita praetermittenda censuimus. Primum (Suet. *Aug.* 42, 3, fr. 16 P.) ad sterilitatem a. 6 p. Chr. pertinere censuit Plew (*Quellenuntersuchungen zur Gesch. d. Kaisers Hadrian*, p. 109) ideoque minime ad commentarios sed ad breviarium totius imperii referendum esse: inter incertae sedis fragmenta recepimus. Alterum — formulam quandam oculis medendi apud ps.-Plinium, *de medic.* I 18, p. 21 ed. Bas., servatam (fr. 18 P.) — cum nulla fide dignum videatur (cf. Val. Rose, *Ueber die medicina Plini*, in *Herm.* VIII, p. 18 sq.; Peter *H. R. R.* II p. LXXV sq.), omnino explodere visum est. Tertium denique ab Isidoro (*de nat. rer.* 44, 4 ex Suetoni Pratis) servatum (fr. 24 P.) ad epistulas pertinere censuimus interque epistularum fragmenta edidimus (fr. XLV).

2. Suetonio teste (*Claud.* 1, 5) Augustus, cum privignus eius Drusus in Germania supremum diem obisset eiusque corpus a Tiberio fratre Romam pervectum in tumulo C. Iuli reconditum esset, non modo eum pro contione honestissime laudavit (3) et inscriptionem sepulcralem versibus a se compositis monumento eius incidendam curavit (4), sed etiam vitae eius memoriam soluta oratione composuit. Verum de hoc Augusti opere unum Suetoni testimonium habemus: videtur autem ad biographicum, quod aiunt, genus rhetorice laudandi causa exornatum, cuius exemplum primum Xenophonteus ille Agesilaus praebuerat, id esse referendum (5).

(1) o. c. p. LXXIII sqq.

(2) *Wien. St.* XXXV p. 113-130; p. 267-288; XXXVI p. 84-103.

(3) Vide supra p. XXXVI.

(4) Vide supra p. XVII.

(5) Cf. V. PISANI, *Augusto e il latino*, in *Annali di Pisa* VII, 1938, p. 224. Magnam partem cum laudatione id congruisse suspi-

3. Ait Dio (LIII 30 sq., ad annum 731/23) Augustum undecimum consullem cum Calpurnio Pisone adeo gravi decubuisse morbo, ut nulla salutis spes adesset: itaque omnibus rebus ut fato concessurus dispositis, magistratibus et senatorum equitumque primoribus ad se convocatis, nemine sibi successore constituto, cum omnes putarent Marcellum ad hoc ab eo destinatum iri; postquam nonnulla iis de publicis negotiis exposuisset, Pisoni libellum in quem exercituum publicorumque redituum indicem conscripsisset, Agrippae anulum tradidisse. Ad idem tempus pertinet quod apud Suetonium (1) scriptum legimus, magistratibus ac senatoribus domum accitis rationarium imperii eum tradidisse. Quod vero saepius ab Augusto ac singulis annis factum esse, ex alio Suetoni loco (2) colligi licet.

4. Priusquam supremum diem obiret (XIV Kal. Septemb. a. 14 p. Chr.) Augustus quattuor volumina diligentissime signata apud virgines Vestales deposuit, quae post eius mortem in senatum adlata ibique aperta et recitata sunt. Horum voluminum primo *testamentum*, quod ante annum et quattuor menses quam decederet (III non. Apr. a. 13) fecerat, altero *mandata de funere suo* comprehenderat; tertio ediderat *indicem rerum a se gestarum, quem vellet incidi in aeneis tabulis, quae ante mausoleum statuerentur*; quarto denique *breviarium totius imperii* (3). Quintum vero

cati sunt H. GRAFF, *De Romanorum laudationibus commentatio*, Dorpati 1862, p. 70; VOLLMER, *Laudationum funebrium Rom. hist.*, in *Neue Jahrb. für Philol.* XVIII Suppl. 1892 p. 484.

(1) Suet. *Aug.* 28, 1.

(2) Suet. *Cal.* 16, 1.

(3) Cf. C. JULLIAN, *Le 'breviarium totius imperii' de l'empereur Auguste*, in *Mélanges d'arch. et d'hist.* III, 1883 p. 149-182. De his Augusti operibus extremis vide quae disputarunt: E. HOHL, *Wann hat Tiberius das Prinzipat übernommen?*, in *Herm.* LXVIII, 1933, p. 106 sqq.; W. WEBER, *Princeps*, I, Stuttgartiae 1936, p. 39 sqq.; E. HOHL, *Zu den Testamenten des Augustus*, in *Klio* XXX, 1937, p. 323 sqq.; F. CORNELIUS, *Zum politischen Testament des Augustus*, in *Phil. Woch.* LIX, 1939, c. 735.

volumen Augustum reliquisse, *mandata de administranda republica* continens, testatur Dio (LVI 33, 3), quod volumen non tam omittunt, quam cum quarto coniungunt Suetonius (*Aug.* 101, 4) et Tacitus (*ann.* I 11, 4): huc pertinent Strabo (VII 1, 4), Tacitus (*Agr.* 13, 2) nec non Suetonius (*Ner.* 10, 1). Huius operis caput fuisse *ordinationem comitiorum*, quam Velleius (II 124, 3) memorat, veri est simillimum (1). Quibus ex operibus unum tantum idque fere integrum nobis servatum est, index rerum gestarum, de quo fusius nunc est nobis dicendum.

Index rerum gestarum. — Voluntati principis heredes obsecuti indicem, in quo ipse paucis ante mortem mensibus (2) perscripserat τὰ ἔργα ἃ ἔπραξε πάντα, ἃ καὶ ἐς χαλκᾶς στήλας πρὸς τῷ ἡρώφῳ αὐτοῦ σταθεῖσας ἀναγραφῆναι ἐκέλευσε (3), ante mausoleum Augusti proposuerunt in Campo Martio situm; exemplar enim, quod Ancyrae, in

(1) Cf. L. CANTARELLI, *L'iscrizione di Ancira*, in *Bullettino della Commissione archeologica comunale di Roma*, 1889, p. 5 sqq.

(2) Consilium autem huius operis scribendi iam pridem eum iniisse, fortasse etiam multis ante annis id inchoasse atque adumbrasse veri est simillimum. Perperam autem contenderat Mommsen (*Res gestae divi Augusti*² p. 2 et 194) indicem ab Augusto multo ante mortem confectum esse, anno fere 750/4, ea vero quae posterioris aetatis essent, vel ab ipso postea supplementi loco addita vel a Tiberio pia interpolatione postuma: nullo enim modo id probari posse, demonstravit P. GEPPERT (*Zum Monumentum Ancyranum*, Berolini 1887 p. 3). Cf. hac de re quid disputarint U. WILCKEN, *Zur Entstehung des Mon. Anc.*, in *Hermes XXXVIII*, 1903, p. 618 sqq.; *Zur Genesis der Res gestae divi Augusti*, in *Sitzungsberichte der preuss. Akad. der Wiss.*, Berolini 1932, p. 222-246; E. KORNEMANN, *Mausoleum und Tatenbericht des Augustus*, Lipsiae-Berolini 1921 (III: *Die Entstehungsgeschichte des Tatenbericht*, p. 19-81); *Monumentum Ancyranum*, in *R. E.* XVI, 1, 1933, c. 217 sqq. (*Die sukzessive Entstehung des Textes*); W. ENSSLIN, *Zu den Res gestae divi Augusti*, in *Rhein. Mus.* LXXXI, 1932, p. 345 sqq.; J. GAGÉ, *Res gestae divi Augusti*, Paris. 1935, p. 13 sqq.; W. WEBER, *Princeps*, I, p. 102 sqq.

(3) DIO CASS. LVI 33, 1.

Galatiae provinciae urbe, servatum est, descriptum dicitur in praescriptione *ex duabus ahenis pilis, quae sunt Romae positae* (1).

Hae autem pilae ante mausoleum statutae cum inscripto commentario omnino perierunt: ipse vero commentarius per exemplaria ad nos pervenit, quae publico consilio in lapide graecae Asiae Minoris res publicae, Galatiae atque Pisidiae provinciae, Ancyrana Apolloniensis Antiochena, incidi iusserunt.

Ancyrae enim index in parietibus aedis, exastylae olim, ex marmore albo factae, quae divo Augusto et deae Romae est dicata, et latine et graece incisus integer fere servatus est: ibique primum a. 1555 legati duo eum legerunt ab imperatore Germaniae Ferdinando I Vindobona ad imperatorem Turcarum Solimanum Amasiam missi, Augerius Gislenius Busbequius Batavus et Antonius Wrantzius sive Verantius episcopus Agriae cum comitibus suis. A quibus exemplum exceptum quamvis neque plenum et multis locis corruptum (2), attentos tamen viros doctos in vetustum atque singulare illud monumentum fecit cupidusque id visendi: quapropter complures Ancyram petiverunt novaque inde eaque perfectiora exempla rettulerunt. Nondum sane plenum fuit exemplum quod Daniel Cossonius Batavus sibi comparavit et Iacobus Gronovius a. 1695 Lugduni Batavorum in *Memoria Cossoniana* sive *Danielis*

(1) Mausoleum, quod inter Flaminiam viam et ripam Tiberis anno 726/28, Augustus ipse, teste Suetonio (*Aug.* 100, 1), exstruxerat, ita Strabo (V 3, 8) descripsit: ἀξιολογώτατον δὲ τὸ Μαισώλειον καλούμενον, ἐπὶ κρηπίδος ὑψηλῆς λευκολίθου πρὸς τῷ ποταμῷ χῶμα μέγα, ἄχρι κορυφῆς τοῖς ἀειθαλέσι τῶν δένδρων συνηρηφές· ἐπ' ἄκρῳ μὲν οὖν εἰκὼν ἐστὶ χαλκῆ τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος, ὑπὸ δὲ τῷ χώματι θῆκαι εἰσὶν αὐτοῦ καὶ τῶν συγγενῶν καὶ οικείων, ὅπισθεν δὲ μέγα ἄλσος περιπάτους θαυμαστοῦς ἔχον· ἐν μέσῳ δὲ τῷ πεδίῳ ὁ τῆς καύστρας αὐτοῦ περίβολος καὶ οὗτος λίθου λευκοῦ, κύκλῳ μὲν περικείμενον ἔχον σιδηροῦν περίφραγμα, ἐντὸς δ' αἰγίροις κατάφυτος.

(2) Edidit MOMMSEN, *Res gestae divi Augusti*², Berolini 1883, p. xx sqq.: cf. p. xviii sq., ubi exempla Busbequiana ab aliis edita recensentur.

Cossonii vita edidit (1), priori tamen praeponendum: neque ea quae omnino satisfacerent exempla rettulerunt Iosephus Pitton de Tournefort, qui a. 1701 Ancyram adiit (2), Paulus Lucas, qui a. 1705 per dies viginti ad titulum describendum Ancyrae moratus est (3), quamquam hoc longe antiquioribus plenius accuratiusque, Rostan Massiliensis (4), Kinneir Anglicus (5), Hamilton item Anglicus, qui cum primus a. 1836 parietes ad murum illum applicitos diruisset, inscriptionis graecae novem postremas paginas legere potuit (6), Mordtmann Hamburgensis, qui ab Academia Berolinensi a. 1859 Ancyram missus neque graeca, qua etiam tum latebant, ut detegerentur obtinuit, dominis loci obstantibus, neque partis latinae ectypum charta madida facere potuit (7). Tandem a. 1861 Georgius Perrot et Edmundus Guillaume iussu imperatoris Gallorum Napoleonis III in Galatiam missi, quamquam ectypa ne ii quidem facere potuerunt, summa tamen cura titulum descripserunt, ut graecam partem praeter nonam paginam explerent atque latinae integrum bonumque apographum pararent (8).

His nisus subsidiis priorem eius, quam 'reginam inscriptionum' iure meritoque appellavit, editionem paravit a. 1865 Th. Mommsen, doctissimo instructam commentario, eandemque recepit a. 1873 in volumine tertio *Corporis Inscriptio-*

(1) Cf. MOMMSEN² p. XXIII.

(2) Exemplum Tournefortianum edidit, sed coniecturis supplementisque tacitis depravatum, E. CHISHULL, in *Antiquitates Asiaticae*, Londinii 1728, p. 171 sqq.: cf. MOMMSEN² p. XXIII sqq.

(3) Ipse inscriptionem Ancyranam edidit in *Voyage du Sieur Paul Loucas fait dans la Grèce, l'Asie mineure, la Macédonie et l'Afrique*, Parisiis 1712.

(4) Cf. *Histoire de l'Académie des inscriptions* XLVII, 1809, p. 91 sqq.

(5) *Journey through Asia Minor*, Londinii 1818, p. 70.

(6) *Researches in Asia Minor* I, 1842, p. 421.

(7) Cf. MOMMSEN² p. XXVII.

(8) Ediderunt in itineraio *Exploration archéologique de la Galatie et la Bithynie*, Parisiis 1862-1872.

tionum Latinarum p. 774 sqq. Tum a. 1882 Carolus Humann Academiae Berolinensis iussu ectypum gypsaceum totius monumenti confecit, quod Berolinum transmissum in museo eius urbis usque ad initium novissimi immanisque belli adservabatur: quo usus alteram eamque multo meliorem indicis augustei editionem curavit Mommsen, quae posterioribus omnibus quasi fundamentum fuit. Interea monumentum ipsum diligentius pervestigabatur: alterum enim idque nitidum perspicuumque ectypum gypsaceum ab Italis confectum Romae in Museo Romano constitutum est, quo nos in editione nostra romana usi sumus: et Martini Schede opera a. 1926 imagines eius affabre luce expressae sunt; denique W. Weber et ipso Ancyrae monumento et eius gypsaceo ectypo Berolini diligentissime perspectis plenioribus quibusdam locis lectionem reddidit: quapropter ex Ancyrana inscriptione nihil amplius erui posse videtur.

Huius latina pars intus in pronao templi Ancyrani sex paginis incisa est, tribus in utroque pariete, graeca extrinsecus in dextro cellae pariete undeviginti paginis iuxta positus; praescriptio in latino exemplo supra tres primas paginas continuatur, graeca super primas septemdecim: reliquae tres latinae, duo graecae paginae nullam habent praescriptionem. Litterae rubri coloris vestigia hic illic servarunt. Utrumque exemplum quinque et triginta capita complectitur, primo versu eminente distincta: quae cum eadem sint in Ancyrano et in Apolloniensi monumento, ad Augustum ipsum vel saltem ad romanum exemplum referri posse videntur.

Ut Ancyra, ita Apollonia, Pisidiae urbs tum autem Galatiae adiuncta, indicem augusteum publice incidi iussit: non tamen in templo — neque enim templum ullum sed 'temenos' Augusto dicaverant Apollonienses — sed in antica parte basis cuiusdam longioris, quae divi Augusti Tiberii Liviae et Germanici Drusique signa sustinebat: quam Olympichus quidam e primoribus civitatis inter annos 14 et 19 dicasse videtur. Inscriptionem — graece tantummodo — in septem paginas distributam esse probabile est. Fragmenta hic reperta, plane cum monumenti Ancyrani inter-

pretatione graeca congruentia, exigua ea neque tamen nullius momenti ad augusteum indicem restituendum, primum descripserunt F. V. J. Arundell in *Discoveries in Asia Minor*, Londinii 1834, II, p. 426, W. J. Hamilton — sed tertiam paginam tantum et quartae partem — in *Researches in Asia Minor*, II, p. 491, n. 455; tum W. H. Waddington apud Lebasium in *Inscriptions grecques et latines recueillies en Grèce et en Asie Mineure*, III, 1850, n. 1194, G. Hirschfeld qui et descripta et charta expressa Mommseno dedit, unde hic variam lectionem in *Ephemeride epigraphica*, II, 1875, p. 482, edidit iisque tum usus est in Monumenti Ancyrani editione altera. Aliud frustulum, quod Anderson in *Journal of Hellenic Studies*, XVIII, 1898, p. 100, n. 43, ediderat, agnovit A. v. Domaszewski a. 1911 (*Ein unerkanntes Fragment des Mon. Apolloniense*, in *Philologus* LXX, 1911, p. 569). Plura autem fragmenta recuperavit archaeologica Anglorum atque Americanorum missio cui W. H. Buckler et W. M. Calder praecerant: quae in *Monumenta Asiae Minoris antiqua* IV, 1933, p. 50 sqq. edita, ad lacunas Ancyrani explendas multum contulerunt.

Anno vero 1914 tertium exemplum, latine tantum, aliam quoque Asiae Minoris urbem proposuisse compertum est: eo enim anno W. M. Ramsay, vir antiquitatis studiosissimus, Antiochiae, in urbe Pisidiae, cum in foro, ubi templum Augusti olim exstabat, effoderet, fragmenta lapidea reperit inscriptionis plane cum Augusti rerum gestarum indice congruentis. Fragmenta, quae quidem plus unam litteram complectebantur, eaque IL fuerunt, in *Journal of Roman Studies* VI, 1916, sub hoc titulo: '*Monumentum Augusti Antiochenum*', edita sunt. Post autem confectum prius illud nostrae aetatis bellum, quod totum fere orbem terrarum concussit, mense maio a. 1924 rursus ibidem effodi coeptum est atque Ramsayi iussu operam suam huc contulerunt etiam tres viri ad universitatem pertinentes '*of Michigan Expedition to Asia Minor*': David M. Robinson, Enoch E. Peterson, H. S. Feizy: alia CCXX fragmenta in lucem tum prolata sunt, quae non nihil ad indicem Augusteum restituendum valuerunt: ediderunt ea Robinson in

American Journal of Philology vol. XLVII (1926) atque tum Ramsay et Premerstein in *Klio*, Beih. XIX, 1927.

Utrum in parietibus an in basi aliqua portave triumphali tertium hoc exemplum inscriptum sit, cuius fragmenta inter plateam Augustam et plateam Tiberianam reperta sunt, diiudicare non possumus: hoc tantum constat, in decem paginas indicem hic esse distributum, titulum in primis duabus paginis praescriptum habuisse et postscriptam appendicem. Monumentum Antiochenum, uti supra diximus, cum Ancyrano omnino congruit, parvis quibusdam differentiis exceptis, quas in apparatu critico adnotavimus: quibus autem diligenter consideratis adfirmari posse videtur non ab Ancyrano id esse exscriptum sed alio quodam exemplo, sive Roma ad singulas urbes singula exempla missa sunt, sive Ancyrae in ipso Galatiae capite ex archetypo Roma misso varia descripta sunt exemplaria, quae ad singulas eius regionis urbes mitterentur.

Quid autem de hoc opere iudicandum sit cuive litterarum generi id sit adscribendum, multum disputatum est: alii enim elogium sepulcrum id esse habendum, alii 'tabulam accepti et expensi' contenderunt, alii alias protulerunt coniecturas. Utcumque hac de re iudicare volumus, magnum quoddam novumque in litterarum historia illud esse miraque quadam reverentia animos nostros imbueret fatendum est.

Quod denique ad versionem graecam pertinet diu item disputatum est atque adhuc ambigitur, utrum interpres romanus fuerit an graecus, utrum Romae an Ancyrae ea confecta sit: qua de re cum nihil certi adfirmari possit, satis erit viros doctos, qui hanc agitaverint quaestionem, potissimos quidem, infra enumerare.

Nunc autem Augusti rerum gestarum indicis editiones percensebimus (1):

(1) Editiones Mommseniana antiquiores, imperfectas eas atque mendosas, supervacaneum recensere visum est, quas reperies apud Jo. A. FABRICIUM o. c. et A. E. EGGERUM, *Examen critique des historiens anciens de la vie et du règne d'Auguste*, Parisiis 1844, p. 412 sqq. Mentione autem digni videntur duo viri docti qui ante

TH. MOMMSEN, *Res gestae divi Augusti*, Berolini 1865, iterum Berolini 1883; *Corpus Inscriptionum Latinarum* III 2, 1873, p. 769-799.

TH. BERGK, *Augusti rerum a se gestarum index cum graeca metaphrasi*, Gottingae 1873.

R. CAGNAT et C. PELTIER, *Res gestae divi Augusti d'après la dernière recension avec l'analyse du commentaire de Th. Mommsen*, Parisiis 1886.

E. JACOB, *Res gestae divi Augusti*, in volumine II alterius editionis Taciti Annalium, Parisiis 1886.

A. ALLMER, *Les gestes du dieu Auguste d'après l'inscription du temple d'Ancyre, avec restitution et commentaires. Extraits du Mon. Anc. de Th. Mommsen*, Vienna 1889.

K. WILLING, *Die Thaten des Kaisers Augustus von ihm selbst erzählt, übersetzt und erklärt*, Halae 1897 et Berolini 1924.

W. FAIRLEY, *Monumentum Ancyranum. The Deeds of Augustus. Translations and Reprints from the Original Sources of European History*, V 1, Philadelphiae 1898.

R. CAGNAT, *Inscriptiones Graecae ad res Romanas pertinentes*, III, Parisiis 1906, n. 159, p. 65-95.

A. WEIDNER, *Q. Horatius Flaccus, für den Schulgebrauch, mit der vita Suetonii und dem Mon. Anc. bearbeitet von RUDOLF FRANZ*, Lipsiae 1907.

E. DIEHL, *Res gestae divi Augusti (Das Mon. Anc.)*, Bonnae 1908, iterum 1910, tertium 1918, quartum 1925, quintum 1930, sextum 1935.

J. E. SANDYS, *Latin Epigraphy*, Cantabrigiae 1919, iterum 1927, p. 258-276.

E. G. HARDY, *The Mon. Anc.*, Oxonii 1923.

D. M. ROBINSON, *The Deeds of Augustus as recorded on the Monumentum Antiochenum*, in *American Journal of Philology*, XLVII, 1926, p. 1-54.

W. M. RAMSAY - A. VON PREMERSTEIN, *Monumentum Antiochenum*, in *Klio*, Beih. XIX, Lipsiae 1927.

R. WIRTZ, *Monumentum Ancyranum mit Berücksichtigung der neuen Funde des Monumentum Antiochenum*, Monasterii 1927.

Mommsenum Augusti commentarium ediderunt atque illustraverunt, J. Franzius et A. W. Zumptius: *Caesaris Augusti index rerum a se gestarum sive Monumentum Ancyranum. Ex reliquiis Graecae interpretationis restituit J. Franzius, commentario perpetuo instruxit A. W. Zumptius*, Berolini 1845.

El Monumentum Ancyranum. Estudio critico realizado en el Seminario de historia de la civilización de la Facultad de filosofía y letras, dirig. por el prof. Clemente Ricci. Publicaciones del Instituto de investigaciones históricas, n. XLII, Buenos-Ayres 1928.

M. GOTTSCHALD, *Augustus. Das Monumentum Ancyranum. Eclogae Graeco-Latinae*, fasc. 46, Lipsiae 1928.

C. BARINI, *Monumentum Ancyranum. Res gestae divi Augusti. Testo e commento storico*, Mediolani 1930; iterum *Res gestae divi Augusti ex monumentis Ancyrano Antiocheno Apolloniensi*, Romae 1937.

R. ROGERS - K. SCOTT - M. WARD, *Caesaris Augusti Res gestae et fragmenta (latine tantum)*, Bostoni 1935.

J. GAGÉ, *Res gestae divi Augusti. Texte établi et commenté*, Parisiis 1935.

Il testamento politico di Augusto (Monumentum Ancyranum) a cura di A. OXILIA e A. F. GIACHETTI, Florentiae 1938.

Der Tatenbericht des Kaisers Augustus, übertr. und mit ausführlicher Erläuterungen versehen von M. SCHUSTER, mit einem Anhang: Die Germanenkämpfe unter Augustus bis Velleius und Florus, Vindobonae 1940.

Cesare Augusto. Il Monumento Ancirano a cura di VITTORIO D'AGOSTINO, Augustae Taurinorum 1942.

Res gestae divi Augusti. Kritische Textausgabe von H. VOLKMANN, *Jahresbericht über die Fortschritte der klass. Altertumswissenschaft*, Suppl. Band 276 (Teil I), 1942.

Augustus, Meine Taten. Das Monumentum Ancyranum cum germanica versione ed. F. GOTTANKA, Monaci, 1943.

S. RICCIBONO (latine) et N. FESTA (graece) in *Acta Divi Augusti*, I, Romae 1945.

G. PUGLIESE CARRATELLI, *Imp. Caesar Augustus, Index rerum a se gestarum*, Neapoli 1947.

Res gestae Divi Augusti (cc. 1-13; 25-35): testo traduzione e commento a cura di A. GUARINO, Catinae 1947.

Res gestae Divi Augusti, Introduccion, texto y notas de A. MAGARIÑOS. Suppl. *Estudios Clasicos* 1951 (cf. *Iura* V, 1954, p. 216 sq.).

M. A. LEVI in appendice editionis Suet. Vitae Augusti (*Divus Augustus*, Florentiae 1951).

Res gestae Divi Augusti. Das Monumentum Ancyranum, hrsg. und erklärt von H. VOLKMANN, Berolini 1957; 2. verb. Aufl. Kl. Texte für Vorles. u. Ueb. XXIX-XXX, Berolini 1964.

Mon. Anc. Der Tatenbericht des Augustus. Vollständiger lat. und griech. Text mit Kommentar, hrsg. von R. Wirtz, Monasterii 1958.

Equidem indicem seorsum edidi, cum italica interpretatione atque commentario, in *Edizioni Roma*, Romae 1936, iterum 1938.

Opera praecipua quae ad indicem illustrandum pertinent, haec sunt:

O. CAVEDONI, *Il monumento ancirano di Cesare Augusto illustrato coi riscontri delle sue medaglie*, in *Opuscoli religiosi, letterari e morali*, II VI, Mutinae 1865, p. 321-354.

O. HIRSCHFELD in *Wiener Studien* III, 1881, p. 252-264; VII, 1885, p. 170-174; id. in *Arch.-epigr. Mitteil. aus Oesterreich*, 1885, p. 170 sq.

E. BORMANN, *Bemerkungen zum schriftlichen Nachlass des Kaisers Augustus*, Marburgi 1884; id. in *Verhandlungen der 43 Versammlung deutscher Philologen in Köln*, Lipsiae 1895, p. 184 sqq.

O. SEEK in *Wochenschrift f. klass. Philologie* 1884, c. 1475 sqq.

J. SCHMIDT in *Philologus* XLIV, 1885, p. 448 sqq.; XLV, 1886, p. 393 sqq.; XLVI, 1887, p. 70 sqq.

ED. WÖLFFLIN, *Epigraphische Beiträge in Sitzungsberichte der philos.-philol. und hist. Classe der kgl. bayer. Akademie der Wissenschaften zu München* 1886 p. 253-282; 1896 p. 160-184; id. in *Archiv für lat. Lexikographie und Grammatik*, III, 1886, p. 130.

U. VON WILAMOWITZ-MÖLLENDORFF, *Res gestae divi Augusti*, in *Hermes* XXI, 1886, p. 623-627.

H. NISSEN, *Die litterarische Bedeutung des Mon. Anc.*, in *Rhein. Mus.* XLI, 1886, p. 481 sqq.

P. GEPPERT, *Zum Mon. Anc.*, Berolini 1887.

TH. MOMMSEN, *Der Rechenschaftsbericht des Augustus*, in *Historische Zeitschrift* LVII, 1887, p. 385-397.

FR. HAUG in *Bursians Jahresbericht über die Fortschritte der klass. Altertumswissenschaft* LVI, 1890, p. 87-103.

L. CANTARELLI, *L'iscrizione di Ancira*, in *Bullettino della commissione archeologica comunale di Roma*, XVII, 1889, p. 3-16; 57-68; XXVIII, 1900, p. 139-145.

J. W. BECK, *De Monumento Ancyrano sententiae controversae*, in *Mnemosyne*, XXV, 1897, p. 349-360; XXVI, 1898, p. 237-257.

K. ENGELHARDT, *Zum Monumentum Ancyranum*, Spirae 1902.

U. WILCKEN, *Zur Entstehung des Monumentum Ancyranum*, in *Hermes* XXXVIII, 1903, p. 618-628.

G. SIGWART, *Die Schreibung der Zahlen im Monumentum Ancyranum*, in *Klio* III, 1903, p. 548-550.

F. KOEPP, *Bemerkungen zum Mon. Anc.*, in *Mitteil. Archaeol. Inst. Rom.* XIX, 1904, p. 51-79.

F. GOTTANKA, *Suetons Verhältniss zu der Denkschrift des Augustus (Mon. Anc.)*, Progr. Münch. 1904; *Zum Monumentum Ancyranum*, in *Blätter für das Gymnasialschulwesen* XLIX, 1913, p. 121-125; LXII, 1926, p. 38-40; *Das Monumentum Ancyranum und das Monumentum Antiochenum*, ibid. LXV, 1929, p. 139-149; 246-254; 335-342; LXVI, 1930, p. 23-34; 329-335; id. in *Philologus* XC, 1935, p. 122-127; *Bemerkungen zu Volkmanns kritischer Textausgabe der Res gestae divi Augusti*, ibid. XCV, 1943, p. 230-244; *Zum Mon. Anc. und Mon. Ant.*, ibid. XCVI, 1944, 132-156.

CH. HOEING, *Notes on the Monumentum Ancyranum*, in *Classical Philology* III, 1908, p. 87-90.

N. VULIĆ, *Quando fu scritto il Mon. Anc.*, in *Rivista di storia antica* XIII, 1909, p. 41-46.

VILH. LUNDSTRÖM, *Den grekiska tolkningarna af räkneorden i Mon. Anc. 8*, in *Eranos* IX, 1909, p. 180-182.

R. WIRTZ, *Ergänzungs- und Verbesserungsvorschläge zum Monumentum Ancyranum*, Augustae Trevir. 1912.

M. BESNIER, *Récents travaux sur les Res gestae divi Augusti*, in *Mélanges Cagnat*, Parisiis 1912.

M. ROSTOVZEV, *De titulo et arte litteraria Mon. Anc.*, Petropoli 1913 (russice).

F. BLUMENTHAL, *Die Autobiographie des Augustus*, in *Wien. St.* XXXVI, 1914, p. 99-103.

E. KORNEHMANN, *Mausoleum und Tatenbericht des Augustus*, Lipsiae-Berolini 1921 (cf. *Klio* II, 1902, p. 141-162; III, 1903, p. 74-84; IV, 1904, p. 88-97; V, 1905, p. 317-332); *Monumentum Ancyranum*, in *R. E.* XVI I, 1933, c. 211-231.

A. v. PREMERSTEIN, *Zum Monumentum Ancyranum in Philologische Wochenschrift* XLII, 1922, p. 135-143; *Zur Aufzeichnung der Res gestae divi Augusti im pisidischen Antiochia*, in *Hermes* LIX, 1924, p. 95-107; *Gliederung und Aufstellung der Res gestae divi Augusti in Rom und im pisid. Antiochia*, in *Klio* XXV, 1932, p. 197-225.

V. EHRENBERG, *Monumentum Antiochenum*, in *Klio* XIX, 1924, p. 189-213.

R. HEINZE, *Auctoritas*, in *Hermes* LX, 1925, p. 348-366.

- G. A. HARRER, *Res gestae divi Augusti*, in *Studies in Philology* XXIII, 1926, p. 387-403.
- V. LUNDSTRÖM, *Till Res gestae divi Augusti*, in *Eranos* XXV, 1927, p. 179-185; 286-288.
- H. DESSAU, *Mommsen und das Mon. Anc.*, in *Klio* XXII, 1928, p. 261-283.
- H. MARKOWSKI, *De nonnullis locis rerum gestarum divi Augusti*, in *Eos* XXXI, 1928, p. 219-235; *De textu rerum gestarum divi Augusti restituendo quaestiones selectae*, *ibid.* XXXII, 1929, p. 347-370; *De Gallis Hispanis Germania in indice rerum gestarum divi Augusti laudatis*, *ibid.* XXXIV, 1933, p. 427-459; *De quattuor virtutibus Augusti in clupeo aureo ei dato inscriptis*, *ibid.* XXXVII, 1936, p. 109-128.
- K. SCOTT, *On chapter XVIII of the Res gestae*, in *Classical Philology* XXIII, 1928, p. 175 sq.
- R. RAU, *Zum Rechenschaftsbericht des Augustus*, in *Klio* XXIV, 1931, p. 503-508.
- U. WILCKEN, *Zu den Impensae der Res gestae divi Augusti*, in *Sitzungsberichte der preuss. Akademie der Wissenschaften*, Berolini 1931, p. 772-785; *Zur Genesis der Res gestae divi Augusti*, *ibid.* 1932, p. 225-246.
- W. ENSSLIN, *Zu den Res gestae divi Augusti*, in *Rhein. Mus.* LXXXI, 1932, p. 335-365.
- G. RUDBERG, *Zu Monumentum Ancyranum*, in *Symb. Osl.* X, 1932, p. 148-152.
- K. SCOTT, *Chapter IX of the Res gestae and the Euler Cult*, *Class. Phil.* XXVII, 1932, 284-287.
- R. LAQUEUR, *Komposition und Entstehung der Res gestae divi Augusti*, *Vergangenheit und Gegenwart*, 1933.
- V. GROH, *Per ristabilire il testo delle Res gestae*, in *Atti del III Congr. naz. di Studi Romani* 1935 II, p. 545-554.
- W. WEBER, *Princeps*. *Studien zur Geschichte des Augustus*, Stuttgart-Berolini 1936, p. 102-240; 106*-265*.
- H. BERVE, *Zum Monumentum Ancyranum*, in *Hermes* LXXI, 1936, p. 241-253.
- K. BARWICK, *Zum Monumentum Ancyranum*, in *Philologus* XCI, 1936, p. 350-352.
- A. SOLARI, *Il monumento politico di Augusto*, in *Philologus* XCII, 1937, p. 429-443.
- A. VON PREMERSTEIN, *Vom Werden und Wesen des Prinz'pats*, *Monachi* 1937.

- E. MALCOVATI, *Il « numerus » nelle « Res gestae » di Augusto*, *Athenaeum* 1936 p. 67-77; *Sul capitolo X del Mon. Anc.*, *Atti del IV Congr. Naz. di Studi Romani*, Romae 1938.
- J. D. NEWBY, *A numismatic commentary on the Res gestae of Augustus*, Jowa City 1938.
- H. BARDON, *Notes sur la littérature impériale*. I: *Influence littéraire des Res gestae d'Auguste*, in *Latomus* 1939, p. 250-253.
- W. KOLBE, *Ein Doppelerfolg des Augustus im Kampf gegen Ost und Nord*, in *Germania* XXIII, 1939, p. 104-110; *rec. Weberi*, in *Gött. Gel. Anz.* 1939, p. 152-169.
- E. KORNEMANN, *Das Augustus Mausoleum ein Romulusgrab*, *Forschungen und Fortschritte*, 1939, p. 425-427.
- E. HOHL, *Der Leistungsbericht des Augustus*, in *Neue Jahrbücher für antike und deutsche Bildung*, 1940, p. 136-146 (cf. *Klio* XXX, 1937, p. 323-342: *Zu den Testamenten des Augustus*).
- H. U. INSTINSKY, *Consensus universorum*, in *Hermes* LXXV, 1940, p. 265-278.
- E. STAEDLER, *Ueber Rechtsnatur und Rechtsinhalt der Augustischen Regesten*, in *Zeitschrift der Savigny-Stiftung* LXI, 1941, Rom. Abt. p. 77-122; LXIV, 1944, p. 368-370; *Das römisch-rechtliche Element in den Augustischen Regesten*, *ibid.* 1942, p. 82-121; *Zum Rechtsbegriff der Augustischen auctoritas*, *Mon. Anc.* 34, *ibid.* 1943, p. 384-393; *Zur staatrechtlichen Tragweite der Datierungsweise in den R. g. Divi Augusti*, *ibid.* 1947 p. 327-339.
- W. KOLBE, *Vom Werden des Prinzipates*, in *Klio* XXXVI, 1943, p. 26-44.
- A. MAGDELAIN, *Une nouvelle interprétation du chapitre XXXIV des Res gestae d'Auguste*, *Rev. Et. Lat.* 21-22, 1943-44, p. 15-16. — *Auctoritas Principis*, Paris. 1947.
- H. GABRICI, *Ad res gestas Augusti commentarius de re nummaria*, in *Acta Divi Augusti* I, Romae 1945, p. 77-99.
- E. SCHOENBAUER, *Die Res Gestae Divi Augusti in rechtsgeschichtlicher Beleuchtung*, *Sitzungsber. Akad. Wiss. Wien* CCXXIV, 2, 1946.
- P. MINGAZZINI, *Il 'pulvinar ad Circum Maximum'*, *Bull. Comm. Arch. Rom.* LXXII, 1946-48, p. 27-32.
- M. A. LEVI, *La composizione delle 'Res gestae divi Augusti'*, in *Rivista di Filologia* XXV, 1947, p. 189-210.
- E. HOHL, *Das Selbstzeugnis des Augustus über seine Stellung im Staat*, *Mus. Helv.* 1947, p. 101-115.
- G. PUGLIESE CARRATELLI, *Auctoritas Augusti*, *La Parola del Passato*, 1949, p. 29-40.

- G. MISCH, *Geschichte der Autobiographie*³, Bernae 1949, p. 284-298.
- A. M. LAUTON, *Zur Sprache des Augustus im Mon. Anc.*, Wien. St. LXIV, 1949, p. 107-123.
- G. E. F. CHILVER, *Augustus and the Roman Constitution*, *Historia* I, 1950, p. 408 ss.
- W. STEIDLE, *Sueton und die antike Biographie*, Monachi 1951 (p. 178 Anhang: *Zum Mon. Anc.*).
- F. E. ADCOCK, *The Interpretation of Res gestae Divi Augusti 34, 1*, *Class. Quart.* 1951, p. 130-135. — *A note on R. g. Divi Augusti 34, 3*, *Journ. Rom. St.* XLII, 1952, p. 10-12.
- A. ALFÖLDI, *Die Geburt der kais. Bildsymbolik: Parens patriae*, *Mus. Helv.* X, 1953, p. 114 sqq. (et passim).
- E. GABBA, *Sulle colonie triumvirali di Antonio in Italia, La Parola del Passato* 1953, p. 106-110 (de coloniis ab Augusto in Indice commemoratis).
- G. ROHDE, *Aedes Iuventatis, Prolegomena* 1953, p. 99-104.
- H. VOLKMANN, *Bemerkungen zu den R. g. Divi Augusti*, *Historia* III 1954, p. 81-86.
- E. SKARD, *Zu Mon. Anc.*, *Symb. Osl.* XXXI, 1955, p. 119-121.
- W. SEYFAHRT, 'Potitus rerum omnium'. *Ein Beitrag zur Deutung der RGDA, Kap. 34*, *Philologus* CI, 1957, p. 305-323.
- J. BÉRANGER, *L'accession d'Auguste et l'idéologie du privatus*, *Palaeologia* VII, 1958, p. 1-11.
- W. KUNKEL, *Ueber das Wesen des august. Prinzipats*, *Gymnasium* LXVIII, 1961, p. 353-370.
- P. GRENADE, *Essai sur les origines du principat*, Paris. 1961.
- F. CANCELLI, *Principato*, in *Nuovo Digesto Italiano*, Aug. Taurin. 1966.
- De versione graeca haec potissimum videre potes:
- P. VIERECK, *Sermo Graecus*, Gottingae 1888, p. 85-88.
- A. P. MEUWESE, *De rerum gestarum divi Augusti versione graeca*, Buscoduci 1920; *De versione graeca Monumenti Ancyranum quaestiones*, in *Mnemosyne* LIX, 1926, p. 224-233.
- P. REGARD, *La version grecque du Monument d'Ancyre*, in *Revue des études anciennes* XXVI, 1924, p. 147-161.
- D. B. KING, *The greek version of the Res gestae of Augustus*, in *Trans. of the Am. philol. Ass.* 1938, p. XL.
- V. REICHMANN, *Römische Literatur in griechischer Uebersetzung*, in *Philologus*, Suppl. XXXIV 3, Lipsiae 1943, p. 19-27.
- N. FESTA, *Animadversiones criticae ad graecam interpretationem*, in *Acta Divi Augusti* I, Romae 1945, p. 65-75.

R. GELSOMINO, *I grecismi di Augusto, Atti e documenti pubbl. ci.*, *Mata* X, 1958, p. 148-156.

H. U. INSTINSKY, *Ante me principem, Hermes* LXXXVII, 1959, p. 380-381.

* * *

Ad pleniorē Augusti mentis animique imaginem reddendam, haud alienum visum est quae eius dicta et apophtegmata rerum scriptores memoriae passim tradiderint, collecta edere: quae luculenter copioseque ostendunt eum non modo facetum dicacemque fuisse, sed petulantem etiam interdum et acri argutoque ingenio praeditum. In quibus percensendis rerum scriptorum, qui ea nobis servarint, solam rationem habuimus, cum tempora, quibus ea pronuntiata fuerint, nullo modo plerumque constitui possent.

Sed iam ipsas Augusti reliquias proponamus oportet.

In iis fragmentis, quae libris manu scriptis tradita sunt,
< > acutis uncis, ut mos est, ea saepsimus, quae contra codicum fidem supplenda videbantur;

[] quadratis uncis quae delenda.

In iis contra, quae lapidibus vel papyris servata sunt,

[] quadratis uncis, ut fieri solet, deperditorum supplementa circumdedimus;

< > acutis, quae perperam addita ideoque delenda videbantur;

() rotundis quae ommissa addenda visa sunt vel prave scripta mutanda.

I.
CARMINA

1. Sicilia.

I.

Suet. *Aug.* 85, 2 poetica summatim attigit, unus liber exstat scriptus ab eo hexametris versibus, cuius et argumentum et titulus est Sicilia.

2. Epigrammatum liber.

II.

Plin. *ep.* V 3, 2 facio non numquam versiculos severos parum... 5 an ego verear... ne me non satis deceat quod decuit M. Tullium... divum Iulium, divum Augustum, divum Nervam, Tiberium Caesarem?

III.

Suet. *Aug.* 85, 2 exstat alter aequae modicus (*liber*) epigrammatum, quae fere tempore balinei meditabatur.

IV.

Quod futuit Glaphyran Antonius, hanc mihi poenam Fulvia constituit, se quoque uti futuam.

Fulviam ego ut futuam? quid si me Manius oret
 paedicem, faciam? non puto, si sapiam.
 5 'aut futue, aut pugnemus' ait. quid, quod mihi vita
 carior est ipsa mentula? signa canant!

*V.

Convivae, tetricas hodie secludite curas,
 ne maculent niveum †nebula corda diem:
 omnia sollicitae ponantur murmura mentis,
 ut †vacet totum pectus amicitiae.
 5 non semper gaudere licet: fugit hora, iocemur:
 difficile est fatis subripuisse diem.

IV. Mart. XI 20 Caesaris Augusti lascivos, livide, versus | sex
 lege, qui tristis verba latina legis: | 'quod — canant!' | absolvis
 lepidos nimirum, Auguste, libellos, | qui seis Romana simplicitate
 loqui.

3. Mamius *cod. Edimburg. bibl. Fac. Advocat., Voss. Leid. pri-
 mus Q. 56, Puteanus Paris. lat. 8067, Vat. 3294.*

*Quod ad rem pertinet, cf. Gardthausen, Augustus und seine Zeit,
 I p. 196, II p. 93.*

V. *E Cod. Bern. 109 fol. 136 ed. H. Hagen Rhein. Mus. XXXV,
 1880, p. 569; Baehrens PLM IV 122, p. 111; Riese Anth. Lat.²,
 n. 719^f, p. 203; Menz, Die Tironischen Noten p. 67, qui genuinum id
 iudicarunt; K. Müller, Neue Fragmente in tironischen Noten aus der
 Berner Handschriftensammlung qui suppositivum medii aevi opus
 esse demonstravit. Cf. praej. p. XII sq.*

2. nebula *cod. quod metro non aptatur: nebula corr. Hagen 4 va-
 cet totum cod.: vacet (et) totum Legendre pro totum perperam
 indomitum legerat Hagen.*

*Epigramma locis communibus consutum esse videtur atque imita-
 tionibus scatet: secludite curas est hexametri clausula in Verg. Aen.
 I 562; tetricus adiect. saepius usurpatum ab Ovidio atque Martiale
 (cf. apud hunc, VI 10, 5, at quam non tetricus, quam nulla
 nubilus ira, quod Hageni correctioni suffragatur); ad v. 3 mur-
 mura mentis cf. Prop. II 5, 29 murmura famae, item in fine hexa-
 metri; v. 5 fugit hora etiam apud Pers. V 153 (de sententia cf. etiam*

3. Ajax tragoedia.

VI.

Suet. *Aug.* 85, 2 tragoediam magno impetu exorsus, non
 succedenti stilo, abolevit quaerentibusque amicis, quidnam
 Ajax ageret, respondit Aiaceum suum in spongiam incubuisse.

VII.

Sud. s. v. Αἰγούστος Καῖσαρ, I p. 410 ADLER (ἔγραψε)
 καὶ τραγωδίαν Αἰαντός τε καὶ Ἀχιλλέως.

4. Fescennini.

VIII.

Macr. *sat.* II 4, 21 temporibus triumviralibus Pollio cum
 fescenninos in eum Augustus scripsisset, ait: 'at ego taceo.
 non est enim facile in eum scribere, qui potest proscribere'.

5. Drusi elogium.

IX.

Suet. *Claud.* 1, 5 nec contentus elogium tumulo eius
 (Drusi) versibus a se compositis insculpsisse, etiam vitae
 memoriam prosa oratione composuit (*Augustus*).

*Hor. c. I 11, 7 sq. fugerit invida aetas, Verg. g. III 284 fugit...
 tempus, Ov. Fast. VI 772 fugiunt... dies); de v. 6 structura cf. Ov.
 a. a. II 20 difficile est illis imposuisse modum.*

VI. Cf. *Macr. sat.* II 4, 2 (*Augustus*) Aiaceum tragoediam scrip-
 serat eandemque, quod sibi displicisset, deleverat. postea L.
 Varius tragoediarum scriptor interrogabat eum, quid ageret Ajax
 suus: et ille 'in spongiam, inquit, incubuit'.

6. Versus Graeci.

X.

Plin. *n. h.* XXXV 91 Venerem exeuntem e mari divus Augustus dicavit in delubro patris Caesaris, quae anadyomene vocatur, versibus graecis tali opere dum laudatur, <non> victo, sed inlustrato.

XI.

Macr. *sat.* II 4, 31 solebat descendenti a Palatio Caesari honorificum aliquod epigramma porrigere Graeculus. id cum frustra saepe fecisset rursusque eum idem facturum vidisset Augustus, breve sua manu in charta exaravit graecum epigramma, pergenti deinde ad se obviam misit.

X. 3 sq. *corrupte traditus est locus necdum sanari potuit*: tali opere *codd. vulg.*: tantopere Fröhner *Mus. Rhen.* XLII p. 293 non *suppl. Broier.*: aevs *Mayhoff*

XII.

κρίστου δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον.

XIII.

ὄρῳ φάσσι Μασγάβαν τιμώμενον;

XII-XIII. Suet. *Aug.* 98, 4 vicinam Capreis insulam Apragopolim appellabat a desidia secedentium illuc e comitatu suo. sed ex dilectis unum, Masgaban nomine, quasi conditorem insulae, κρίστην vocare consueverat. huius Masgabae ante annum defuncti tumulum cum e triclinio animadvertisset magna turba multisque luminibus frequentari, versum compositum ex tempore clare pronuntiavit: κρίστου - πυρούμενον, conversusque ad Thrasyk(1)um Tiberi comitem contra accubantem et ignarum rei interrogavit, cuiusnam poetae putaret esse; quo haesitante subiecit alium: ὄρῳ - τιμώμενον; ac de hoc quoque consuluit. cum ille nihil aliud responderet quam, cuiuscumque essent, optimos esse, cachinnum sustulit atque in iocos effusus est.

De hoc Masgaba, de Apragopoli insula deque extremis Augusti diebus vide quae disputarint M. Della Corte, Augustiana, in Atti dell'Accademia di Archeologia Lettere e Belle arti di Napoli, XIII, 1933-34, I p. 67 sqq.; Capri Apragopoli Masgaba, ibid. p. 193 sqq.; P. Mingazzini, Sul sito dell'Apragopoli menzionata da Augusto, ibid. II p. 59 sqq.; A. Maiuri, Brevi note sulla vita di Augusto a Capri, ibid. I p. 209 sqq.; rursus M. Della Corte, Il graffito di Masgaba e gli studi « Augustiana », in Rendiconti dell'Istituto Lombardo LXVIII, 1935, p. 145 sqq.

Versus graeci quos supremo vitae die morte iam instante eum amicis admissis quasi ex tempore dixisse testatur Suetonius (99, 1) quosque in prima et altera huius operis editione inter Augusti ipsius carmina edideramus, ex aliqua comoedia nunc deperdita videntur potius fluxisse ideoque inter dicta et apophthegmata recepimus (XLIV).

II.
EPISTULAE

I. AD RES PRIVATAS PERTINENTES

Ad Liviam uxorem.

I.

Collocutus sum cum Tiberio, ut mandasti, mea Livia, quid nepoti tuo Tiberio faciendum esset ludis Martialibus. consentit autem uterque nostrum, semel nobis esse statuen- dum, quod consilium in illo sequamur. nam si est artius, ut ita dicam, holocleros, quid est quod dubitemus, quin per eosdem articulos et gradus producendus sit, per quos frater eius productus sit? sin autem ἡλαττώσθαι sentimus eum et βεβλάφθαι καὶ εἰς τὴν τοῦ σώματος καὶ εἰς τὴν τῆς ψυχῆς ἀριότητα, praebenda materia deridendi et

I. Suet. *Claud.* 3, 2 avunculus maior Augustus quid de eo in utramque partem opinatus sit, quo certius cognoscatur, capita ex ipsius epistulis posui. 'Collocutus — legendam'.

4 ἄρτιος *vulg.* 5 ut] et ut Beroaldus, et Casaubonus, *perperam*, nam holocleros *adverbium graecum est latinis litteris scriptum* ἄρτιος *vulg.* est quod *om.* G (*cod. Gudianus* 268) 7 sit] est Q (*cod. Paris.* 5802), fuit *pars* *edd. post Erasmus* ἡλαττώσθαι Beroaldus: EAATTΩΣΘΑΙ *vel* - ΩΣΘΑΙ *codd.* 9 ΤΗΨΧΗΣ M (*cod. Paris.* 6115), ΤΗΣΨΧΗΣ *vel* ΤΗΣΨΧΗΣ *rell.* (ψυχῆς *om.* II = *cod. Paris.* 6116): *corr. edd. Rom. (editiones principes Romanae)* ἀριότητα *dett. edd. Rom.:* ΑΡΠΟΤΗΤΑ MQR (*cod. Regius mus. Brit.* 15 C III), APPOTHTA G, *corruptius* *rell.*

illum et nos non est hominibus τὰ τοιαῦτα σκώπτειν καὶ 10
μυκτηρίζειν εἰωθόσιν. nam semper aestuabimus, si de
singulis articulis temporum deliberabimus, μὴ προὔποκει-
μένου ἡμῶν posse arbitremur eum gerere honores necne.
in praesentia tamen quibus de rebus consulis, curare eum 15
ludis Martialibus triclinium sacerdotum non displicet nobis,
si est passurus se ab Silvani filio homine sibi affini admoneri,
ne quid faciat quod conspici et derideri possit. spectare
eum circenses ex pulvinari non placet nobis; expositus enim
in fronte prima spectaculorum conspicietur. in Albanum 20
montem ire eum non placet nobis aut esse Romae Lati-
narum diebus. cur enim non praeficitur urbi, si potest
sequi fratrem suum in montem? habes nostras, mea Livia,
sententias, quibus placet semel de tota re aliquid constitui,
ne semper inter spem et metum fluctuemur. licebit autem,
si voles, Antoniae quoque nostrae des hanc partem epistulae 25
huius legendam.

II.

Tiberium adolescentem ego vero, dum tu aberis, cotidie invitabo ad cenam, ne solus cenet cum suo Sulpicio et Athenodoro. qui vellem diligentius et minus μετεώρως deligeret sibi aliquem, cuius motum et habitum et inces-

10 ΤΟΙΑΥΣΤΑ ML (*cod. Laur.* 68, 7) S (*cod. Montepess.* 117) σκώπτειν G^o *dett. edd. Rom.:* ΣΚΩΤΙΠΕΙΝ MG *et sim. rell.* 11 εἰωθόσιν *dett. edd. Rom.:* ΕΗΙΩΘΟΣΙΝ M *et sim. rell.* 12-13 προὔποκειμένου] *recte G, corrupte rell.* 16 sillani *dett.*, Silani Roth *al. cum Beroaldo* 20 montem *om.* IIQ 24 fluctuemur MH (*Heirici excerpta ad fidem cod. Paris.* 8818) GV (*cod. Vatic.* 1904): fluctuemus *rell.*

II. Suet. *Claud.* 4, 4 rursus alteris litteris: 'Tiberium - εὐγένεια'.

2 nec MG cenat G 4 deligeret MII: delegeret RS, delegerit L, diligeret GQT (*cod. Berolin. lat. fol.* 337), *om.* P (*cod. Paris.* 5801), deligerent Burmann Oudendorp

5 sum imitaretur. misellus ἀτυχῆ· nam ἐν τοῖς σπουδαίοις, ubi non aberravit eius animus, satis apparet ἡ τῆς ψυχῆς ἀποτοῦ εὐγένεια.

III.

Tiberium nepotem tuum placere mihi declamantem potuisse, peream nisi, mea Livia, admiror. nam qui tam ἀσαφῶς loquatur, qui possit cum declamat σαφῶς dicere quae dicenda sunt, non video.

IV.

Suet. Aug. 40, 3 Liviae pro quodam tributario Gallo roganti civitatem negavit, immunitatem optulit, affirmans facilius se passurum fisco detrahi aliquid, quam civitatis Romanae vulgari honorem.

Ad Iuliam filiam.

V.

Misi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos singulis convivis dederam, si vellent inter se inter cenam vel talis vel par impar ludere.

5 nam Roth: NAM codd., λαν vel πάνυ vulg., καὶ μὴν Turnebus De Sulpicio et Athenodoro, quorum in hoc fragmento mentio fit, nihil prorsus scimus: id unum ex Augusti verbis apparere videtur, iuvenes obsoletos eos fuisse sodales atque convictores a Claudio, invito avunculo, in familiaritatem adsumptos.

III. Suet. Claud. 4, 5 item tertiis litteris: 'Tiberium - video'.

IV. Per epistulam id Augustum fecisse ex iis quae eodem Suetoni loco verba praecedunt (fr. XIX) intellegitur.

V. Suet. Aug. 71, 4 scribit ad filiam: 'misi - ludere'.

1 quot Lipsius 2 convivii HQST inter se del. Torrentius

Ad Tiberium privignum.

VI.

Cenavi, mi Tiberi, cum isdem; accesserunt convivae Vinicius et Silius pater. inter cenam lusimus geronticos et heri et hodie; talis enim iactatis, ut quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat universos, qui Venerem 5 iecerat.

VII.

Nos, mi Tiberi, Quinquatrus satis iucunde egimus; lusimus enim per omnis dies forumque aleatorum calfecimus. frater tuus magnis clamoribus rem gessit; ad summam tamen perdidit non multum, sed ex magnis detrimentis praeter spem paulatim retractum est. ego perdididi viginti milia nummum 5

VI. Suet. Aug. 71, 1 aleae rumore nullo modo expavit lusitque simpliciter et palam oblectamenti causa etiam senex ac praeterquam Decembri mense aliis quoque festis et profestis diebus. nec id dubium est. autographa quadam epistula: 'cenavi, ait, — iecerat'.

2 γερωντικῶς vulg., seniliter s. s. in V 3 enim om. V aut] ad J. Marquardt

Vinicius istum, Augusti convivam et conlusorem, demonstravit Borghesi (Œuvres complètes V, Paris. 1869, p. 126) L. Vinicius fuisse L. filium, triumvirum monetalem a. 738/16, sicut e nummis colligi licet; de quo Augusti facete quoddam dictum servavit Seneca, contr. II 5, 20 (cf. infra, Dicta et apophth., II). Cf. de eo etiam infra, ep. XLII, et Hanslik in R. E. IX A 111, 5. Idem cos. suff. fuit a. 749/5. Alter Augusti conviva fuit P. Silius P. filius Nerva, qui consulatum sub Augusto a. 734/20 gessit gentesque Alpium ut leg. Aug. procos. vicit a. 738/16 (cf. Nagl in R. E. VA 92 sqq.).

VII. Suet. Aug. 71, 3 et rursus aliis litteris: 'nos — efferet'. 2 aleatorium ed. Ven. 1490 5 retractatum M, retractus (at in L -us in ras.) LPOST et edd. plerumque

meo nomine, sed cum effuse in lusu liberalis fuissem, ut soleo plerumque. nam si quas manus remisi cuique exegissem aut retinuissem quod cuique donavi, vicissem vel quinquaginta milia. sed hoc malo; benignitas enim mea
10 me ad caelestem gloriam efferet.

VIII.

Aetati tuae, mi Tiberi, noli in hac re indulgere et nimium indignari quemquam esse, qui de me male loquatur: satis est enim, si hoc habemus ne quis nobis male facere possit.

6 liberali LPO (cod. Laur. 66, 39) ST

Sollemnia Quinquatruum, per quae Augustus continuo se luisse fatetur, in honorem Minervae celebrabantur post diem quintum Idus Martias (unde nomen ortum est) per quinque dies: vide Ovid. fast. III 812: haec maiora Quinquatria dicebantur. Erant etiam Quinquatria minora sive Quinquatrus minusculae, quae celebrabantur Idibus Iuniis: v. Ovid. fast. VI 651. — Bene admonuit ad hunc locum Rutgersius manum pro ea pecunia adhibuisse Augustum, quae inter duos ludentes poneretur: minus bene conferendum esse censuit Ovid. a. a. I 451 sq. (sic, ne perdiderit, non cessat perdere lusor, et revocat cupidus alea saepe manus), ubi manus de lusoribus, non de pecunia intellegendas esse, sicut apud eundem Ovidium, Pont. I 46 (nec tenet incertas alea blanda manus), manifestum est. — De verborum 'benignitas mea me ad caelestem gloriam efferet' significatione cf. C. Pascal, La deificazione di Augusto, in Rendiconti dell'Ist. Lomb. XLIV, 1911, p. 438-449.

VIII. Suet. Aug. 51, 2 quadam vero cognitione, cum Aemilio Aeliano Cordubensi inter cetera crimina vel maxime obiceretur quod male opinari de Caesare soleret, conversus ad accusatorem commotoque similis: 'velim, inquit, hoc mihi probes; faciam sciat Aelianus et me linguam habere, plura enim de eo loquar'; nec quicquam ultra aut statim aut postea inquisiit. Tiberio quoque de eadem re, sed violentius apud se per epistulam conquerenti ita rescripsit: 'aetati — possit'. Aemilius Aelianus iste Cordubensis nobis aliunde prorsus ignotus est. Cf. infra, p. 164 xxxvii.

1 aetati M, pietati δ (cod. Paris. 5804), Bentley, cf. Claud. 16, 1

IX.

Nos in essedo panem et palmulas gustavimus.

X.

Dum lectica ex regia domum redeo, panis unciam cum paucis acinis uvae duracinae comedi.

XI.

Ne Iudaeus quidem, mi Tiberi, tam diligenter sabbatis ieiunium servat quam ego hodie servavi, qui in balneo demum post horam primam noctis duas buccas manducavi prius quam ungui inciperem.

IX. Suet. Aug. 76, 1 cibi — nam ne haec quidem omiserim — minimi erat atque vulgaris fere. secundarium panem et pisciculos minutos et caseum bibulum manu pressum et ficos virides biferas maxime appetebat; vescebaturque et ante cenam quocumque tempore et loco, quo stomachus desiderasset. verba ipsius ex epistulis sunt: 'nos — gustavimus'.

X. Suet. Aug. 76, 2 et iterum: 'dum - comedi'.

XI. Suet. *ibid.* et rursus: 'ne - inciperem'.

2 balneo MVQR: balneo *rell.* 3 demum *om. H* buccas II, buccas II^R (*edd.*), buccatas H

'Le sabbat pris pour un jour de jeûne est une confusion ordinaire chez les auteurs du siècle d'Auguste' Th. Reinach, *Textes d'auteurs grecs et romains relatifs au Judaïsme, réunis, traduits et annotés*, Paris. 1895, p. 244 *adn.*

XII.

Vale, iucundissime Tiberi, et feliciter rem gere, ἐμοί καὶ ταῖς Μούσαις συστρατηγῶν. iucundissime et ita sim felix, vir fortissime et dux νομιμώτατε, vale.

XIII.

Ordinem aestivorum tuorum! ego vero, mi Tiberi, et inter tot rerum difficultates καὶ τοσαύτην ἀποθυμίαν τῶν

XII. Suet. *Tib.* 21, 2 ne illud quidem ignoro aliquos tradidisse, Augustum palam nec dissimulanter morum eius diritatem adeo improbase, ut nonnumquam remissiores hilarioresque sermones superveniente eo abrumperet; sed expugnatum precibus uxoris adoptionem non abnuisse, vel etiam ambitione tractum. ut tali successore desiderabilior ipse quandoque fieret. adduci tamen nequeo quin existimem, circumspiciendum et prudentissimum principem in tanto praesertim negotio nihil temere fecisse: sed vitiis Tiberi virtutibusque perpensis potiores duxisse virtutes, praesertim cum et rei p. causa adoptare se eum pro contione iuraverit et epistulis aliquot ut peritissimum rei militaris utque unicum p. R. praesidium prosequaretur. ex quibus in exemplum pauca hinc inde subieci: 'Vale - vale'. Cf. *Vell. II, 104, 1.*

1 gere M: rege *rell.* (at cf. *suprascr. in VLS ad l. 2*) 2 ταῖς Μούσαις συστρατηγῶν *nos coniecturam Ihmii secuti: ταῖς Μούσαις στρατηγῶν ed. Rom. Ioh. Andreae 1470, Ven. 1490, vulg., ΜΟΥΣΑΕΔΙΣΤΕΤΡΑΤΗΓΩΝ M et sic fere ΓΠQRPPO, ΜΟΥΣΙΑΣ (ΜΟΥΣΑΣ L) ΑΙΣ (vel DIS) ΤΕΣΤΡΑΤΗΓΩΝ VLS, ΑΑΟΥΣΑΙΣ-ΤΕΤΡΑΤΗΓΩΝ T; post Μούσαις legunt καλὰ vel ἄριστε Turnebus, ἄριστα Casaub., αἰεὶ Bentley; ταῖς μου ἴσα σαῖς τε στρ. Roth (probante R. Verdière, *Ant. Cl. XXIV 1955 p. 120 s., qui contendit imitatione hic expressa esse ab Augusto extrema verba epistolae Xerxis ad Pausaniam missae apud Thucydidem I 129, 3: quod vix verisimile videtur), ταῖς (ἐ)μοῦ πάσαις στρ. Bücheler, alii (ταῖς in τοῖς mutantes) aliter s.s. mihi et meis tuisque commilitibus gere in VLS sim om. G 3 νομιμώτατε ed. a. 1480, Ven. 1490, vulg. NOMIMΩΜΑΤΕ codd. (s.s. legitime in VLS), μονιμώτατε Casaub.**

XIII. Suet. *Tib.* 21, 5.

1. verbum probandi vel admirandi excidisse plerique censuerunt: laudo post Tiberi inseruit Stephanus, probo Castiglioni, verso pro vero propos. Bücheler 2 ἀποθυμίαν Salmasius: ΑΠΟΘΥΜΕΙΑ

στρατευομένων non potuisse quemquam prudentius gerere se quam tu gesseris, existimo. ii quoque qui tecum fuerunt omnes confitentur, versum illum (*Enn. ann. 370 V.?*) in te posse dici:

unus homo nobis vigilando restituit rem.

XIV.

Sive quid incidit de quo sit cogitandum diligentius, sive quid stomachor, valde medius fidius Tiberium meum desidero succurritque versus ille Homericus (*Il. X 246*):

τούτου γ' ἐσπ(ο)μένοιο καὶ ἐκ πυρός αἰδομένοιο
ἄμφω νοστήσαμεν, ἐπ(ε)ὶ περίοιδε νοῆσαι.

XV.

Attenuatum te esse continuatione laborum cum audio et lego, di me perdant nisi cohorrescit corpus meum; teque oro ut parcas tibi, ne si te languere audierimus, et ego et mater tua expiremus et summa imperi sui populus R. periclitetur.

ML, ΑΠΟΘΥΜΕΙΑΝ rell., βραθυμίαν vulg., edd. Rom., ἀποθυμίαν Pithoeus, ἀπειθείαν Bentley, λιποθυμίαν conii. Ihm (s.s. et tantam defectionem militantium in VLS) 4 tu te Ursinus

XIV. Suet. *Tib.* 21, 6.

2 stomachor (-cor *ST*) ΠQLPST, -chorum *MGV(L?)P*, -chandum R, -chosum *Heinsius* vel de M, vade E 4 γ' *edd. Rom., T codd., δ' vulg. καὶ -αἰδομένοιο om. ΠQRP 5 ΝΟΣΤΗΣΑΙΘΟΜΕΝ M et sim. GVLS ΝΩΝΣΕ vel ΝΩΗΣΕ codd., corr. ed. Rom. Ioh. Andreae 1470*

XV. Suet. *Tib.* 21, 7.

2 dii M²QQL²ST 3 et ante ego om. LPSS 4 de ante summa add. ΠQRP²T

XVI.

Nihil interest valeam ipse necne, si tu non valebis.

XVII.

Deos obsecro, ut te nobis conservent et valere nunc et semper patiantur, si non p. R. perosi sunt.

XVIII.

Scribis enim perviam ἀντί τοῦ obiter.

XIX.

Suet. *Aug.* 40, 3 Tiberio pro cliente Graeco petenti (sc. civitatem) rescripsit, non aliter se daturum, quam si praesens sibi persuasisset, quam iustas petendi causas haberet.

XX.

Suet. *Aug.* 92, 2 observabat et dies quosdam, ne aut postridie nundinas quoquam proficisceretur aut nonis quicquam rei seriae incoharet; nihil in hoc quidem aliud devitans, ut ad Tiberium scribit, quam δυσφημίαν nominis.

XVI. Suet. *ibid.*

XVII. Suet. *ibid.*

XIII, XIV, XV, XVI, XVII particulas diversarum esse litterarum et Suetoni verbis et sensu ipso manifestum fit.

XVIII. Charis. p. 271, 10 B. 'obiter' divus Hadrianus sermonum libro I quaerit an latinum sit... divus Augustus reprehendens Ti. Claudium ita loquitur: 'scribis - obiter'. sed divus Hadrianus 'tametsi' inquit 'Augustus non pereruditus homo fuerit, ut id adverbium ex usu potius quam lectione protulerit'.

XX. 4 ΔΥΣΦΕΛΛΙΑΝ *M et sim. rel.* (E omnes praeter II), quam dubitationem *add. S et sic s. s. in VLP*

Ad C. Caesarem nepotem.

XXI.

Quoniam innumerabilia incidunt assidue quae scribi ad alterutrum oporteat et esse secreta, habeamus inter nos notas si vis tales, ut cum aliquid notis scribendum erit, pro unaquaque littera scribamus sequentem hoc modo: pro a b, pro b c et deinceps eadem ratione ceteras; pro x autem 5 littera redeundum erit ad duplex a.

XXI. Suet. *de vir. ill.* 117, p. 137 REIFF.: Caesar quoque Augustus ad filium: 'quoniam - a'.

1 quoniam *Monac. Gu.* 2, 3: quod *Gu.* 4, quum *vulg.* 1-2 ad alterutrum *vulg.*: alterutrum *Monac. Gu.* 1, 2, 3, 4 oportet *vulg.* et *super vers. Monac., om. Gu.* 2, 3, 4 inter nos habeamus *Gu.* 1 3 cumque *Gu.* 1 nobis *Gu.* 3, quod mavult *Cast.* 6 ad duplex a a redeundum erit *Gu.* 1

Incertum est de quo privignorum nepotumve Suetoni verba intellegenda sint; at recte animadvertit Weichert nusquam Tiberium, ne post adoptionem quidem, apud ullum scriptorem Augusti filium tantum appellatum esse, sed privignum modo: nepotes autem eius C. et L. Caesares a. 737/17 adoptatos constanter filios nominatos esse. Itaque alterutrum intellegamus necesse est, quos utrosque Augustum notare i. e. per notas scribere docuisse e loco Suetoni (Aug. 64, 3) patet, ubi quamquam communis omnium codicum lectio est natate pro notare, tamen viri docti consentiente voce falsam eam et ineptam censuerunt totique contextui repugnantem; nullum igitur est dubium quin Lipsii emendatio, notare, accipienda sit. Cum Weichertio Gaium Caesarem nepotem intellego, quem Augustus maxime dilexit, ad quem scriptas epistulas ipsum una collegisse atque uno evulgasse libro veri est simillimum. De hoc Augusti scribendi per notas more vide etiam Suet. Aug. 88, Dio. Cass. LI 3, 7.

XXII.

IX. Kal. Octobris.

Ave, mi Gai, meus asellus iucundissimus, quem semper
medius fidius desidero, cum a me abes. Sed praecipue
diebus talibus, qualis est hodiernus, oculi mei requirunt
5 meum Gaium, quem, ubicumque hoc die fuisti, spero laetum
et bene valentem celebrasse quartum et sexagesimum na-
talem meum. Nam, ut vides, κλιμακτῆρα communem se-
niorum omnium tertium et sexagesimum annum evasimus.
Deos autem oro, ut mihi quantumcumque superest tem-
10 poris, id salvis nobis traducere liceat in statu rei publicae
felicissimo, ἀνδραγαθούτων ὑμῶν καὶ διαδεχομένων stationem
meam.

XXII. Gell. XV 7, 3 nocte quoque ista proxima superiore, cum
librum epistularum divi Augusti, quas ad Gaium nepotem suum
scripsit, legeremus duceremurque elegantia orationis neque morosa
neque anxia, sed facili hercle et simplici, id ipsum in quadam
epistula super eodem anno scriptum offendimus; eiusque epistulae
exemplum hoc est: 'IX - meam'.

2 assellus II (cod. Regin. 1646) X (Voss. Lat. F 112), ocellus
Beroaldus 9 mihi om. Q (cod. Paris. 8664) Z (Voss. Lat. F 7)
10 vobis N (cod. Magliabec. 329) O (Regin. 597) II

Hanc elegantem atque dulcis tenerique amoris plenam epistolam
ad Gaium nepotem tum in Oriente contra Parthos bellantem scripsit
Augustus, cum quartum et sexagesimum aetatis annum ingressus
(a. 1 p. Chr.), quam laete κλιμακτῆρα annum sexagesimum tertium
evaserit, jactare intellegere potest qui Augusti animum religionum
superstitionumque plenum fuisse consideraverit (cf. Suet. Aug. 90.
91. 92). De nom. asellus cf. Löfstedt, Syntactica, I² p. 99 sqq. Am-
bique verbum hic usurpatum esse cens. E. Fraenkel, Horace, Oxoni
1957, p. 19, 6. De verbis stationem meam, cf. E. Köstermann, Statio
principis, Philologus 1932 p. 358-368.

XXIII.

Quint. I 6, 19 sed Augustus quoque in epistulis ad C. Cae-
sarem scriptis emendat, quod is 'calidum' dicere quam
'caldum' malit, non quia id non sit latinum, sed quia sit
odiosum et, ut ipse graeco verbo significavit, πρῆττον.

XXIV.

Suet. Aug. 93 Gaium nepotem, quod Iudaeam praeter-
vehens apud Hierosolyma non supplicasset, conlaudavit.

XXIII. 2-3 calidam - caldam Keil mavult A (cod. Ambros.
E 153) 4 otiosum Burmann

De Augusti in erudiendis nepotibus neptibusque cura certiores
nos facit Suetonius (Aug. 64); quemadmodum igitur Agrippinam
neptem admonuit (fr. XXV) ut daret operam ne moleste scriberet
et loqueretur, ita Gaium nepotem eum hortatum esse, ne vocabulorum
formis, quae in usu versari desissent, uteretur, ex hoc Quintiliani
loco accipimus, qui cum eos reprehendat, qui plenas vocabulorum
formas imminutis praeferant ideoque 'novisse' 'iudicavisse' pro
'nosse' 'iudicasse' dicant, item 'audaciter' pro 'audacter'
'emicavit' pro 'emicuit', addit et ea quae supra attulimus. E
quibus colligitur Augusti aetate 'caldus' pro 'calidus' iam usita-
tissimum fuisse.

XXIV. 2 Hierosolimam codd., corr. Burmann (cf. Ner. 40, 2,
Tit. 5, 2 Hierosolymorum)

Cf. Oros. VII 3, 4 Gaium nepotem suum Caesar Augustus ad
ordinandas Aegypti Syriaeque provincias misit. qui praeteriens
ab Aegypto fines Palaestinae, apud Hierosolymam in templo dei
tunc sancto et celebri adorare contempsit, sicut Suetonius Tran-
quillus refert. quod Augustus ubi per eum comperit, pravo usus
iudicio prudenter fecisse laudavit.

Per litteras eum ab Augusto laudatum esse veri est simillimum:
cf. enim Suet. Aug. 86, 3.

Ad Agrippinam neptem.

XXV.

Sed opus est dare te operam, ne moleste scribas et loquaris.

XXVI.

Puerum Gaium XV Kal. Iun. si dii volent, ut ducerent Talarius et Asilius, heri cum iis constitui. mitto praeterea cum eo ex servis meis medicum, quem scripsi Germanico si vellet ut retineret. valebis, mea Agrippina, et dabis
5 operam ut valens pervenias ad Germanicum tuum.

Ad Germanicum.

XXVII.

Suet. *Cal.* 8, 4 (*ex epistula Augusti ad Agrippinam neptem, fr. XXVI*) mitto praeterea cum eo ex servis meis medicum, quem scripsi Germanico, si vellet, ut retineret.

Ad M. Antonium.

XXVIII.

Suet. *Aug.* 7, 1 sed et a M. Antonio in epistulis per contumeliam saepe Thurinus appellatur et ipse nihil amplius

XXV. Suet. *Aug.* 86, 3 quadam epistula, Agrippinae neptis ingenium conlaudans: 'sed —, inquit, — loquaris'.

XXVI. Suet. *Cal.* 8, 4 exstat et Augusti epistula, ante paucos quam obiret menses ad Agrippinam neptem ita scripta de Gaio hoc — neque enim quisquam iam alius infans nomine pari tunc supererat —: 'puerum - tuum'.

2 assilius S, asellius IQR (*cf. Tib.* 42, 2) 4 post vellet octo fere litt. eras. M, <uti> suppl. Casaub.

XXVIII. Suet. *Aug.* 7, 1 infanti cognomen Thurino inditum est, in memoriam maiorum originis, vel quod regione Thurina

quam mirari se rescribit pro obprobrio sibi prius nomen obici.

XXIX.

Suet. *Aug.* 86, 2 M. quidem Antonium ut insanum increpat, quasi ea scribentem, quae mirentur potius homines quam intellegant.

XXX.

Tuque dubitas, Cimberne Annius an Veranius Flaccus imitandi sint tibi, ita ut verbis, quae Crispus Sallustius excerpserit ex Originibus Catonis, utaris? an potius Asiaticorum oratorum inanis sententiis verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda?
5

XXXI.

Fretu cessi.

recens eo nato pater Octavius adversus fugitivos rem prospere gesserat. Thurinum cognominatum satis certa probatione traderim nactus puerilem imagunculam eius aeream veterem ferreis et paene iam exolescentibus litteris hoc nomine inscriptam, quae dono a me principi data inter cubiculi Lares colitur. sed et - obici.

Cf. Suet. Aug. 2, 3 M. Antonius libertinum ei proavum exprobrat, restionem e pago Thurino, avum argentarium.

Alias Antoni easque contumeliosas ad Augustum litteras veteres testantur scriptores: cf. Suet. Aug. 4, 2; 16, 2; 28, 1; 68; 69, 1; 70, 1.

XXX. Suet. *Aug.* 86, 2 deinde ludens malum et inconstans in eligendo genere dicendi ingenium eius (*Antonii*), addit haec: 'tuque - transferenda?'.

| Πάρθοι Οὐονώνην, βασιλέως Φράτου υἱ[όν], βασιλ[έως] ||
'Ωρώδου υἱόν, Μῆδοι Ἀριοβαρζάνην, βα[σι]λέως | Ἀρτα- 15
βάζου υἱόν, βασιλέως Ἀριοβαρζάν[ου υἱόν]. |

34. Ἐν ὑπατεῖαι ἕκτη καὶ ἑβδόμη μετὰ τὸ τοῦ ἐνφυλίου
ζβέσαι με πολέμους [κ]ατὰ τὰς εὐχὰς τῶν ἐμῶν πολε[ι]τῶν
ἐνκρατῆς γενόμενος πάντων τῶν || πραγμάτων, ἐκ τῆς ἐμῆς 20
ἐξουσίας εἰς τὴν συνκλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων
μετήνεγκα | κυρήσαν. Ἐξ ἧς αἰτίας δόγματι συνκλήτου
Σεβαστὸς | προσ[ηγορε]ύθην καὶ δάφναις δημοσίαι τὰ πρό-
πυλ[ά] μου ἐστέφθη, ὃ τε δρύϊνος στέφανος ὁ διδόμενος ||
XVIII ἐπὶ σωτηρίαι τῶν πολιτῶν ὑπερά[ν]ω τοῦ πυλῶνος τῆς
ἐμῆς οἰκίας ἀνετέθη, § ὅπ[λ]ον τε χρυσοῦν ἐν τῷ βο[υ]λευτη-
ρίῳ ἀνατεθ[έ]ν ὑπὸ τε τῆς | συνκλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν
'Ῥω[μα]ίων διὰ τῆς || ἐπιγραφῆς ἀρετὴν καὶ ἐπεικείαν κα[τὰ] 5

33. 13 τῶν παρ' αὐτοῖς πρώτων = *principes* 16 Ἀρταβάζου
pro Ἀρταουάσδου, *cf. 27. 5, 11; 32. 1*

34. 18 ζβέσαι *pro* σβέσαι, *cf. Meuw. p. 19* 22 κυρήσαν *pro*
κυρήσαν XVIII 3 Iulia om. interpres; Ἰουλίῳ ante βουλευτηρίῳ
per homoeoteleuton in transcriptione facile excidere potuisse suspi-
catur Festa 4-5 clupei om. interpres 5 ἐπεικείαν pro ἐπεικείαν,
cf. Meuw. p. 9

au[tem] nihilo amplius [habu]i quam cēt[er]i qui mihi quo[que]
in ma[gis]tra[t]u conlegae [fuerunt]. § |

35. Tertium dec[im]um consuliātum cum gerebam senatus
25 et equiester ordo || populusque Romanus universus [ap-
pellavit me patrem patriae idque in vestibulo [a]edium
meorum inscribendum et in curiā Iulia est in foro Aug. |
sub quadrig[ei]s, quae mihi [ex] s. e. positae sunt, censuit.
Cum scripsi haec, | annum agebam septuagensum
sextum].

1. Summā pecūn[i]ae, quam ded[it vel in aerarium vel
30 plebei Romanae vel di[m]is[s]is militibus: denarium se[xi]e[ns]
milliens].

2. Opera fecit nova § aedem Martis, [Iovis Tonantis et
Feretri, Apollinis,] | divi Iūli, § Quirini, § Minervae, [Iunonis
Reginae, Iovis Libertatis,] | Larum, deum Penātium, [§]
Iuv[entatis, Matris Magnae, Lupercal, pulvina]r | ad circum,
[§] cūriam cum Ch[alcidico, forum Augustum, basilicam] ||
35 Iuliam, theatrum Marcelli, [§] [p]or[ticium Octaviam, nemus
trans T]iberim | Caesarum. § |

quam ceteri qui mihi Ant.: [quam qui fuerunt mihi priores,
ne Webero quidem excepto (cf. p. 164), sed in Anc. quoque vestigia
verbi fuerunt post conlegae cernuntur, cf. Ra.-Pre. p. 97

35. 26 Augusto Ra.-Pre. ex Ant. inscribendum et in c[ur]ia
[Iulia est] Ra.-Pre. ex Ant.: inscribendum esse et in curia
est Mo. 27 censuit Ra.-Pre.: decrevit Mo. et plerique 28 se-
ptuagensum] ab Augusti orthographia abhorret: vide supra p. XXII
et cf. Mo.² p. 192, 194 29 [vel in aera]rium Ra.-Pre.: [in aera-
rium] Mo.

App. 2. 33 [Matris Magnae] Web. et Gagé: [Matris deum] Mo.
et plerique, at cf. 19. 8 35 [p]or[ticium Octaviam] Pre.¹ Ra.-Pre.
probante Gott.: [p]or[ticium] Mo.

δικαιοσύνην | και ευσέβειαν ἐμοὶ μαρτυρεῖ. § 'Αξιόμ[α]τι
[§] πάντων | διήνεγκα, [§] ἐξουσίας δὲ οὐδέν τι πλεῖον ἔσχον
| τῶν συναρξάντων μοι. |

35. Τρισκαίδεκάτην ὑπατείαν ἄγοντός μου ἤ τε σύν||κλητος 10
καὶ τὸ ἱππικὸν τάγμα ὃ τε σύνπας δῆμος τῶν | 'Ρωμαίων
προσηγόρευσέ με πατέρα πατρίδος καὶ τοῦτο | ἐπὶ τοῦ προ-
πύλου τῆς οἰκίας μου καὶ ἐν τῷ βουλευτη|ρίῳ καὶ ἐν τῇ
ἀγορᾷ τῇ Σεβαστῇ ὑπὸ τῷ ἄρματι, ὃ μοι | δόγματι συν-
κλήτου ἀνετέθη, ἐπιγραφῆναι ἐψηφίσα||το. [§] "Οτε ἔγραφον 15
ταῦτα, ἦγον ἔτος ἑβδομηκοστὸν | ἕκτον. § |

1. Συνκεφαλαίωσις [§] ἠριθμημένου χρήματος εἰς τὸ αἰρά-
ριον ἢ εἰς τὸν δῆμον τὸν 'Ρω[μαί]ων ἢ εἰς τοὺς ἀπολε|λυμένους
στρατιώτας [§]. ἕξ μυριάδες μυριάδων. § ||

2. Ἔργα καινὰ ἐγένετο ὑπ' αὐτοῦ ναοὶ μὲν "Αρεως, Διὸς 20
| Βροντησίου καὶ Τροπαιοφόρου, Πανός, 'Απόλλωνος, [§]
θεοῦ 'Ιουλίου, Κυρύνου, [§] 'Α[θ]ηναῖς, [§] "Ἡρας βασιλίδος,
[§] Διὸς 'Ελευθερίου, [§] 'Ἡρώων, θεῶν π[α]τρῶν, [§] Νε|ρό-
XIX τητος, [§] Μητρὸς θεῶν, [§] β[ου]λευτήριον σύν χαλκι|δικῶι,
[§] ἀγορᾶ (<ι> Σεβαστή (<ι>), [§], θέατρον Μαρκέλλου, [§] β[α]-
σι|λικῇ 'Ιουλίᾳ, [§] ἄλλος Καισάρων, [§] στοαὶ ἐ[ν] Παλατ[ί]ῳι,
| στοὰ ἐν ἱπποδρόμῳι Φλαμινίῳι.

6 post id tempus om. interpres

35. 10 τὸ ἱππικὸν τάγμα ex lat. translatum

App. 2. ordinem operum turbavit interpres 21 Πανός = Lu-
percal XIX 2 trans Tiberim om. interpres στοαὶ ἐ[ν] Παλα-
τ[ί]ῳι = pulvinar ad circum? cf. Pre.¹ p. 141 3 στοὰ ἐν ἱππο-
δρόμῳι Φλαμινίῳι = porticum Octaviam

3. Refécit Capito[lium sacra]sque aedes [nu]m[ero octo-
ginta] duas, thea[t]rum Pom[peí], aqu[arum rivos, vi]am
Flamin[iam]. |

4. Ímpensa p[raestita in spe]ctacul[a] scaenica et munera
40 gladiatorum at[que] athletas et venationes et naum[ach-
iam] et donata pe[c]unia [colo]nis municipiis oppid[is]
ter]rae mótu § incendioque consum[pt]is a[ut] viritim
a[micis senat]oribusque quórum census explévit, | in[nu]-
mera[bilis]. §

App. 4. 39 impensa p[raestita] Wölf. *Ra.-Pre.*: impensa p[ecunia]
(vel impensar[um summa]) Mo.² Gott. *Mark.* sca[enica] *Ant.*
et sic iam Mo.² plerique: [circensia] Mo.¹ 40 naumachiam]
animadvertit Mo.² p. 156 Augustum ipsum scripsisse 23. 43 na-
valis proeli spectaclum 40-41 colonis municipiis oppidis *Ra.-*
Pre. Web. et recentiores: [colonis in Italia, oppidis in provinciis]
Gott., et iam pridem Mo.² p. 159 qui tamen in textu hiatum non
expleverat, [municipiis, oppidis in provinciis] dubitanter Diehl

3. § Ἐπεσκευάσθη τὸ Κα]πιτώλιον, [§] ναοὶ ὀγδοήκοντα
δύο, [§] θέ[ατρ]ον Π[ομ]π[ηίου], [§] ὁδὸς Φλαμινία, [§] ἀγωγοὶ 5
ἑξάτων.

4. [Δαπ]άνας δὲ | εἰς θεὰς καὶ μονομάχους καὶ ἀθλητὰς
καὶ ναυμα]χίαν καὶ θηρομαχίαν δωρεαὶ [τε] ἀποικίας πόλεσιν
| ἐν Ἰταλίαι, πόλεσιν ἐν ἐπαρχείαις, [§] σεισμῶι κα[ὶ] ἐντυ]- 10
ρισμοῖς πεπονηκυῖαις ἢ κατ' ἄνδρα φίλοις καὶ συν]κλητικοῖς,
ὧν τὰς τειμήσεις προσεξεπλήρωσεν, ἄ]πειρον πλῆθος. |

INCERTAE SEDIS

I.

Etsi scio fabrilibus operibus exerceri milites non esse alienum, vereor tamen, si quicquam permisero, quod in usum meum aut tuum fiat, ne modus in ea re non adhibeatur, qui mihi sit tolerandus.

I. *Dig. XLIX 16, 12, 1 Paternus (Tarruntenus Paternus libro secundo de re militari, ib. 7) quoque scripsit debere eum, qui se meminerit armato praeesse, parcissime commeatum dare, equum militarem extra provinciam duci non permittere, ad opus privatum piscatum venatum militem non mittere. nam in disciplina Augusti ita cavetur: 'etsi — tolerandus'.*

Opus quoddam Augusti ad rem militarem pertinens exstitisse, quod Disciplina inscriptum esset, inde effecit A. Neuman, Das Militärhandbuch des Kaisers Augustus, in Klio XXVI, 1933, p. 360-362: E. Albertini autem (Académie des inscriptions et belles-lettres, Comptes Rendus 1938, p. 330; Addendum aux fragments des lettres d'Auguste, in Revue des études anciennes, XLII (Mélanges Radet) 1940, p. 379-381) ex epistula, ad Tiberium fortasse missa, id fragmentum fluxisse contendit. In iudicatum rem relinquere maluimus.

II.

Quint. VIII 3, 34 et quae vetera nunc sunt, fuerunt olim nova, et quaedam sunt in usu perquam recentia, ut Messalla primus 'reatum', 'munerarium' Augustus primus dixerunt.

III.

Suet. *Aug.* 42, 3 magna vero quondam sterilitate ac difficili remedio cum venalicias et lanistarum familias peregrinosque omnes exceptis medicis et praeceptoribus partimque servitiorum urbe expulisset, ut tandem annona convaluit, impetum se cepisse scribit frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum cessaret: neque tamen perseverasse, quia certum haberet posse per ambitionem quandoque restitui.

II. *Munerarius est qui manus seu ludum gladiatorum edit: ἀγωνοθέτης, eoque sensu verbum adhibetur a Sen. ex. contr. IV praef. 1, Quint. decl. IX (gladiator) passim, Suet. Dom. 10, 1, Tert. apol. 44, 3. Ubi Augustus verbum hoc — primus — adhibuerit, ignoratur: in 'commentariis de vita sua' de gladiatorum munere locutus est (cf. fr. VI); sed etiam in epistulis sermo de hac re occurrere potuit (cf. e. g. ep. 1, 1).*

III. 8 posset V, om. L, post se recent.

Inter commentariorum fragmenta recepit Peter, H. R. R. II p. 62; Plew autem (Quellenuntersuch. zur Gesch. d. Kaisers Hadrian, p. 109) ad sterilitatem anni 6 p. Chr. (de qua Dio LV 26, 1) pertinere atque e brevuario totius imperii id sumpsisse Suetonium censuit.

APPENDIX

CAESARIS AUGUSTI

DICTA ET APOPHTHEGMATA

I.

Cic. *fam. (Brutus Ciceroni)* XI 20, 1 (*IX Kal. Iun. 711/43*) ipsum Caesarem (*scil. Octavianum*) nihil sane de te questum, nisi dictum quod diceret te dixisse 'laudandum adulescentem, ornandum, tollendum'; se non esse commissurum, ut tolli possit.

II.

Sen. *contr.* II 5, 20 hic est L. Vinicius, quo nemo civis Romanus in agendis causis praesentius habuit ingenium: quidquid longa cogitatio illi praestatura erat, prima intentio animi dabat; ex tempore causas agebat, sed non desiderabat hanc commendationem, ut ex tempore agere videretur. de hoc eleganter dixit divus Augustus: 'L. Vinicius ingenium in numerato habet'.

I. Cf. Suet. *Aug.* 12 ut cognovit Antonium post fugam a M. Lepido receptum ceterosque duces et exercitus consentire pro partibus, causam optimatum sine cunctatione deseruit, ad praetextum mutatae voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus, quasi alii se puerum, alii ornandum tollendumque iactassent, ne aut sibi aut veteranis par gratia referretur.

II. De hoc Augusti dicto cf. J. De Decker, « *Ingenium in numerato habere* » (de l'origine historique d'une locution courante), in *Revue de l'instruction publique en Belgique* LIII, 1910, p. 371-374 (L. Vinicius IIIvir flanda moneta? (L. Vinicius, le magistrat monétaire), *ibid.* p. 375-380). De Vinicio autem cf. *supra*, ad ep. VI et XLII.

III.

Sen. *contr.* IV *praef.* 7 declamabat autem Haterius admissio populo ex tempore: solus omnium Romanorum, quos modo ipse cognovi, in latinam linguam transtulit graecam facultatem. tanta erat illi velocitas orationis, ut vitium fieret. itaque divus Augustus optime dixit: 'Haterius noster sufflaminandus est'. adeo non currere, sed decurrere videbatur.

IV.

Sen. *contr.* X *praef.* 14 bene declamavit Gavius Silo, cui Caesar Augustus, cum frequenter causas agentem in Tarraconensi colonia audisset, plenum testimonium reddidit;

III. *Haterius iste idem fuisse videtur de quo Tacit. ann. IV 61* fine anni (26 p. Chr.) excessere insignes viri Asinius Agrippa, claris maioribus quam vetustis vitaque non degener, et Q. Haterius, familia senatoria, eloquentiae quoad vixit celebratae: monumenta ingeni eius haud perinde retinentur. scilicet impetu magis quam cura vigeat; utque aliorum meditatio et labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud et profluens cum ipso simul extinctum est. Cf. *Sen. ep. 40, 10* Q. Haterii cursum, suis temporibus oratoris celeberrimi, longe abesse ab homine sano volo: nunquam dubitavit, nunquam intermisit; semel incipiebat, semel desinebat. 'Sufflaminare' proprie est ruentem currum sufflamine sistere: *Sen. apocol. 14, 4* erant qui dicerent... aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam; *translate pro cohibere, comprimere, retinere, refrenare: sufflamen enim proprie est lignum illud vel vinculum ferreum, quo per radios rotarum trajecto, vel potius ferreum instrumentum in modum soleae formatum, quo subter rotae unius canthum supposito, currus in declivibus locis nimio impetu ruentes cohibentur: cf. Iuv. 8, 148* ipse rotam adstringit sufflamine mulio consul; *translate pro quocumque retinaculo, impedimento, retardatione: cf. Iuv. 16, 50* nec res atteritur longo sufflamine litis. Hoc verbum Augustus primus *translate* usurpasse videtur.

IV. *Gavium Silonem a. 727-728/27-26 Tarracone audivit Augustus, qua in urbe, cum bellum contra Astures Cantabrosque gereret, octavum et nonum consulatum, teste Suetonio (Aug. 26, 3), inivit.*

dixit enim: 'numquam audivi patrem familiae disertio-
 5 at cum patrem familiae praeferret, oratorem subducebat:
 partem esse eloquentiae putabat eloquentiam abscondere.

V.

Sen. *de ira* III 23, 4 Timagenes historiarum scriptor
 quaedam in ipsum, quaedam in uxorem eius et in totam
 domum dixerat nec perdiderat dicta; magis enim circum-
 fertur et in ore hominum est temeraria urbanitas. saepe
 5 illum Caesar monuit, moderatius lingua uteretur; perseve-
 ranti domo sua interdixit. postea Timagenes in contubernio
 Pollionis Asinii consenuit ac tota civitate direptus est:
 nullum illi limen praeclosa Caesaris domus abstulit. histo-
 rias, quas postea scripserat, recitavit et libros acta Caesaris
 10 Augusti continentis in igne posuit et combussit; inimicitias
 gessit cum Caesare: nemo amicitiam eius extimuit, nemo
 quasi fulguritum refugit, fuit qui praeberet tam alte cadenti
 sinum. tulit hoc, ut dixi, Caesar patienter, ne eo quidem
 motus, quod laudibus suis rebusque gestis manus attulerat;
 15 numquam cum hospite inimici sui questus est. hoc dum-
 taxat Pollioni Asinio dixit: 'θηριοτροφεΐς'; paranti deinde
 excusationem obstitit et 'fruere, inquit, mi Pollio, fruere!'
 et cum Pollio diceret: 'si iubes, Caesar, statim illi domo
 mea interdicam', 'hoc me, inquit, putas facturum, cum
 20 ego vos in gratiam reduxerim?' fuerat enim aliquando
 Timageni Pollio iratus nec ullam aliam habuerat causam
 desinendi, quam quod Caesar coeperat.

*Pater familias interdum pro rudi et simplici et illitterato homine
 ponitur: cf. Cic. de or. I 132 de hoc uno minime est facile praeci-
 pite non mihi modo, qui sicut unus pater familias his de rebus
 loquor, sed etiam ipsi illi Roscio; ibid. I 159 effudi vobis omnia,
 quae sentiebam, quae fortasse, quemcumque patrem familias
 adripissetis ex aliquo circulo, eadem vobis percontantibus re-
 spondisset.*

VI.

Sen. *de ben.* III 27, 1 sub divo Augusto nondum hominibus
 verba sua periculosa erant, iam molesta. Rufus, vir ordinis
 senatorii, inter cenam optaverat, ne Caesar salvus rediret
 ex-ea peregrinatione, quam parabat; et adiecerat idem
 omnes et tauros et vitulos optare. fuerunt, qui illa dili- 5
 genter audirent. ut primum diluxit, servus, qui cenanti ad
 pedes steterat, narrat, quae inter cenam ebrius dixisset, et
 hortatur, ut Caesarem occupet atque ipse se deferat. usus
 consilio descendenti Caesari occurrit et, cum malam mentem
 habuisse se pridie iurasset, id ut in se et in filios suos reci- 10
 deret, optavit et Caesarem, ut ignosceret sibi rediretque in
 gratiam secum, rogavit. cum dixisset se Caesar facere:
 'nemo, inquit, credet te mecum in gratiam redisse, nisi
 aliquid mihi donaveris', petitque non fastidiendam etiam
 a propitio summam et inpetravit. Caesar ait: 'mea causa 15
 dabo operam, ne umquam tibi irascar'.

VII.

Sen. *de ben.* VI 32, 1 divus Augustus filiam ultra inpu-
 dicitiae maledictum inpu dicam relegavit et flagitia principalis
 domus in publicum emisit: admissos gregatim adulteros,
 pererratam nocturnis comissionibus civitatem, forum
 ipsum ac rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, 5
 filiae in stupra placuisse, cotidianum ad Marsyam concursum,
 cum ex adultera in quaestuariam versa ius omnis licentiae
 sub ignoto adultero peteret. haec tam vindicanda principi
 quam tacenda, quia quarundam rerum turpitudine etiam ad
 vindicantem redit, parum potens irae publicaverat. deinde 10
 cum interposito tempore in locum irae subisset verecundia,
 gemens, quod non illa silentio pressisset quae tam diu ne-
 scierat, donec loqui turpe esset, saepe exclamavit: 'horum
 mihi nihil accidisset, si aut Agrippa aut Maecenas vixisset':
 adeo tot habenti milia hominum duos reparare difficile est. 15

VIII.

Quint. VI 3, 59 adhibetur autem similitudo interim palam, interim inseri solet parabola: cuius est generis illud Augusti, qui militi libellum timide porrigenti, 'noli, inquit, tamquam assem elephanto des'.

IX.

Quint. VI 3, 63 Eques romanus, ad quem in spectaculis bibentem cum misisset Augustus, qui ei diceret 'ego, si prandere volo, domum eo', 'tu enim, inquit, non times, ne locum perdas'.

X.

Quint. VI 3, 64 dixit Augustus praefecto, quem cum ignominia mittebat, subinde interponenti precibus 'quid respondebo patri meo?' 'dic me tibi displicuisse'.

XI.

Quint. VI 3, 65 finitione usus est Augustus de pantomimis duobus, qui alternis gestibus contendebant, cum eorum alterum saltorem dixit, alterum interpellatorem.

XII.

Quint. VI 3, 77 Augustus nuntiantibus Tarraconensibus palmam in ara eius enatam, 'apparet, inquit, quam saepe accendatis'.

VIII. Cf. *Suet. Aug. 53, 2* promiscuis salutationibus admittebat et plebem, tanta comitate adeuntium desideria excipiens, ut quendam ioco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem. *Macr. sat. II 4, 3* Augustus cum ei quidam libellum trepidus offerret et modo proferret manum modo retraheret, 'putas, inquit, te assem elephanto dare?'.

XII. *Augusto etiam vivo divinum cultum tributum esse constat, ut recte potuerit adfirmare Horatius (ep. II 1, 15): praesenti tibi*

XIII.

Quint. VI 3, 79 eluditur et ridiculum ridiculo: ut divus Augustus, cum ei Galli torquem aureum centum pondo dedissent, et Dolabella per iocum, temptans tamen ioci sui eventum, dixisset 'imperator, torque me dona', 'malo inquit, te civica donare'.

XIV.

Quint. VI 3, 94 interim de se dicere ridiculum et, quod in alium si absentem diceretur, urbanum non erat, quoniam ipsi palam exprobratur, movet risum: quale Augusti est, cum ab eo miles nescio quid improbe peteret <et> veniret contra Marcianus, quem suspicabatur et ipsum aliquid iniuste rogaturum: 'non magis, inquit, faciam, commilito, quod petis, quam quod Marcianus a me petiturus est'.

mattros largimur honores, iurandasque tuum per numen ponimus aras, nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes. Cf. hac de re *L. R. Taylor, The Divinity of the Roman Emperor, Middletown 1931, p. 236; D. M. Pippidi, Recherches sur le culte impérial (maxime cap. I); P. Lambrechts, La politique « apollinienne » d'Auguste et le culte impérial, La nouvelle Clio V, 1953, p. 65-82. — Tarraconenses, quibus ut divo Augusto templum exstruerent datum erat, teste Tacito (ann. I 78, 1), palmam in principis ara enatam esse ut laetum omen nuntiabant: sed Augustus haud infacete eorum in sacrificando negligentiam per iocum reprehendit.*

XIII. *Corona civica, inter militares nobilissima, ei dabatur, qui civem in pugna, occiso hoste, servasset. Primum ex fronde iligna postea magis placuit ex aesculo Iovi sacra, demum e quercu; semper itaque parvi pretii fuit. — Dolabella iste ignavus et arrogans homo fuisse videtur.*

XIV. *Marcianum hunc haud boni nominis hominem fuisse ex hoc loco apparet; nihil aliud de eo compertum habemus.*

XV.

Plut. *apophth. Caes. Aug. 2* (*Moral. II p. 96 BERN.*)
 ἐπει δὲ Ῥοιμητάλκης ὁ τῶν Θρακῶν βασιλεὺς ἀπ' Ἀντωνίου
 μεταβαλόμενος πρὸς αὐτὸν οὐκ ἐμετρίαζεν παρὰ τοὺς πότους,
 ἀλλ' ἦν ἐπαχθῆς ὀνειδίζων τὴν συμμαχίαν, προπιῶν τινα τῶν
 ἄλλων βασιλέων ὁ Καῖσαρ εἶπεν· 'ἐγὼ προδοσίαν φιλῶ,
 5 προδότας δ' οὐκ ἐπαινῶ'.

XVI.

Plut. *ibid.* 5 ἐν δὲ Σικελίᾳ Ἄρειον ἀντὶ Θεοδώρου κατέστησε
 διοικητὴν· ἐπιδόντος δὲ τινος αὐτῷ βιβλίον, ἐν ᾧ γεγραμμένον
 ἦν· 'φαλακρὸς ἢ κλέπτης Θεόδωρος ὁ Ταρσεύς· τί σοι δοκεῖ;'·
 ἀναγνοὺς Καῖσαρ ὑπέγραψε· 'δοκεῖ'.

XVII.

Plut. *ibid.* 7 Ἀθηνόδωρ δὲ τῷ φιλοσόφῳ διὰ γῆρας εἰς
 οἶκον ἀφεθῆναι δεηθέντι συνεχώρησεν. ἐπει δὲ ἀσπασάμενος
 αὐτὸν ὁ Ἀθηνόδωρος εἶπεν· 'ὅταν ὀργισθῆς, Καῖσαρ, μηδὲν
 εἴπης μηδὲ ποιήσης πρότερον ἢ τὰ εἴκοσι καὶ τέτταρα γράμ-
 5 ματα διελθεῖν πρὸς ἑαυτὸν', ἐπιλαβόμενος αὐτοῦ τῆς χειρός,
 'ἔτι σοῦ παρόντος, ἔφη, χρεῖαν ἔχω'. καὶ κατέσχευεν αὐτὸν
 ἐνιαυτὸν ὅλον, εἰπὼν ὅτι 'ἔστι καὶ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας'.

XV. 2 Ῥοιμητάλκης *Bernardakis*: Ῥοιμητάλκης *libri*.

De Rhoemetalee, Thraciae rege, vide: Dio. Cass. LIV 20, 3; LV 30, 3. 6; Vell. II 112, 4; Tac. ann. II 64, 2; Ovid. ex Ponto II 38 sqq.; Prosopogr. imp. Rom. III p. 130 n. 50; Kahrstedt R.E. IA 1003 n. 1.

XVI. *Arium, qui hic memoratur, philosophum illum fuisse Alexandrinum, Augusti magistrum et contubernalem, valde est probabile. De eo cf. supra, Proleg. p. XI.*

XVIII.

Plut. *ibid.* 8 ἀκούσας δὲ ὅτι Ἀλέξανδρος δύο καὶ τριάκοντα
 γεγονῶς ἔτη κατεστραμμένος τὰ πλείστα διηπόρει τί ποιήσει
 τὸν λοιπὸν χρόνον, ἐθαύμαζεν, εἰ μὴ μείζον Ἀλέξανδρος
 ἔργον ἡγεῖτο τοῦ κτήσασθαι τὴν ἡγεμονίαν τὸ διατάξαι τὴν
 ὑπάρχουσαν.

XIX.

Plut. *ibid.* 10 Γάιον δὲ τὸν θυγατριδοῦν εἰς Ἀρμενίαν
 ἀποστέλλων ἠτεῖτο παρὰ τῶν θεῶν εὐνοίαν αὐτῷ τὴν Πομπη-
 πηίου, τόλμαν δὲ τὴν Ἀλεξάνδρου, τύχην δὲ τὴν ἑαυτοῦ παρα-
 κολουθῆναι.

XX.

Plut. *ibid.* 11 Ῥωμαίους δὲ τῆς ἀρχῆς ἔλεγεν ἀπολείψειν
 διάδοχον, ὃς οὐδέποτε περὶ τοῦ αὐτοῦ πράγματός τις ἐβου-
 λεύσατο, Τιβέριον λέγων.

XXI.

Plut. *ibid.* 12 θορυβοῦντας δὲ τοὺς ἐν ἀξιώματι νέους κα-
 ταστεῖλαι βουλόμενος, ὡς οὐ προσεῖχον ἀλλ' ἐθορύβουν,
 'ἀκούσατε, εἶπε, νέοι γέροντος, οὐ νέου γέροντες ἤκουον'.

XXII.

Plut. *ibid.* 15 Πείσωνος δὲ τὴν οἰκίαν ἐκ θεμελίων ἄχρι
 πάσης στέγης ἐπιμελῶς οἰκοδομοῦντος, 'εὐθυμον, ἔφη, με
 ποιεῖς οὕτως οἰκοδομῶν, ὡς αἰδίου τῆς Ῥώμης ἔσομένης'.

XIX. *Cf. Plut. de fortuna Rom. 7 (Moral. II p. 391 Bern.)*
 ὁ Σεβαστὸς . . . ἐκπέμπων τὸν θυγατριδοῦν ἐπὶ στρατείαν εὗξατο τοῖς
 θεοῖς ἀνδρείαν μὲν αὐτῷ δοῦναι τὴν Σκιπίωνος, εὐνοίαν δὲ τὴν Πομπηίου,
 τύχην δὲ τὴν αὐτοῦ.

XXII. *L. Calpurnius Piso Frugi hic fuisse videtur, L. Pisonis Caesonini cos. 696/58 cens. 704/50 filius, qui consul fuit a. 739/15 cum M. Livio Druso atque ab Augusto ut legatus in Pamphyliam*

XXIII.

Plut. *Cic.* 49, 5 πυνθάνομαι δὲ Καίσαρα χρόνις πολλοῖς ὕστερον εἰσελθεῖν πρὸς ἓνα τῶν θυγατριδῶν· τὸν δὲ βιβλίον ἔχοντα Κικέρωνος ἐν ταῖς χερσὶν ἐκπλαγέντα τῷ ἱματίῳ περικαλύπτειν· ἰδόντα δὲ Καίσαρα λαβεῖν καὶ διελθεῖν ἐστῶτα
5 μέρος πολὺ τοῦ βιβλίου, πάλιν δ' ἀποδιδόντα τῷ μειρακίῳ φάναι· 'λόγιος ἀνὴρ, ὦ παῖ, λόγιος καὶ φιλόπατρις'.

XXIV.

Plut. *comp. Dion. et Brut.* 5, 2 ἔστηχε χαλκοῦς ἀνδριάς (*Bruti*) ἐν Μεδιολάνῳ τῆς ἐντὸς Ἀλπεων Γαλατίας. τοῦτον ὕστερον ἰδὼν ὁ Καῖσαρ εἰκονικὸν ὄντα καὶ χαριέντως εἰργασμένον παρῆλθεν· εἴτ' ἐπιστάς μετὰ μικρὸν ἀκρωμένων πολλῶν τοὺς
5 ἄρχοντας ἐκάλει φάσκων ἔκσπονδον αὐτῶν τὴν πόλιν εἰληφέναι πολέμιον ἔχουσαν παρ' αὐτῆ. τὸ μὲν οὖν πρῶτον, ὡς εἰκός, ἤρνοῦντο καὶ τίνα λέγοι διαποροῦντες εἰς ἀλλήλους ἀπέβλεψαν. ὡς δ' ἐπιστρέψας ὁ Καῖσαρ πρὸς τὸν ἀνδριάντα καὶ συναγαγῶν τὸ πρόσωπον, 'ἀλλ' οὐχ οὗτος, ἔφη, πολέμιος ὢν ἡμέτερος
10 ἐνταῦθα ἔστηκεν;' ἔτι μᾶλλον καταπλαγέντες ἐσιώπησαν. ὁ δὲ μειδιάσας ἐπήνεσέ τε τοὺς Γαλάτας, ὡς τοῖς φίλοις καὶ παρὰ τὰς τύχας βεβαίους ὄντας, καὶ τὸν ἀνδριάντα κατὰ χώραν μένειν ἐκέλευσε.

XXV.

Plut. *Per.* 1, 1 ξένους τινὰς ἐν Ῥώμῃ πλουσίους κυνῶν τέκνα καὶ πιθήκων ἐν τοῖς κόλποις περιφέροντας καὶ ἀγαπῶντας ἰδὼν ὁ Καῖσαρ, ὡς ἔοικεν, ἠρώτησεν, εἰ παιδία παρ' αὐτοῖς οὐ τίκτους αἱ γυναῖκες, ἡγεμονικῶς σφύδρα νοθεύσας τοὺς τὸ φύσει φιλητικὸν ἐν ἡμῖν καὶ φιλόστοργον εἰς
5 θηρία καταναλίσκοντας ἀνθρώποις ὀφειλόμενον.

missus est posteaque in Macedoniam, ut cum Thracibus bellaret: mortuus est anno 32 p. Chr. octogenarius, atque publica sepultura est honoratus: PIR² c 289.

XXIII. Cf. M. Schäfer, *Cicero und der Prinzipat des Augustus, Gymnasium* 1957, p. 310 ss.; J. Béranger, *Cicéron précurseur politique, Hermes* 1959, p. 103 ss.

XXVI.

Tac. *ann.* IV 34, 3 Titus Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus in primis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut Pompeianum eum Augustus appellaret; neque id amicitiae eorum effecit.

XXVII.

Suet. *Aug.* 13, 1 inita cum Antonio et Lepido societate Philippense quoque bellum, quamquam invalidus atque aeger, duplici proelio transegit, quorum priore castris exutus vix ad Antoni cornu fuga evaserat. nec successum victoriae moderatus est, sed capite Bruti Romam misso, ut statuae
5 Caesaris subiceretur, in splendidissimum quemque captivum non sine verborum contumelia saeviit; ut quidem uni suppliciter sepulturam precanti respondisse dicitur iam istam volucrum fore potestatem.

XXVIII.

Suet. *Aug.* 15 Perusia capta in plurimos animadvertit, orare veniam vel excusare se conantibus una voce occurrens moriendum esse.

XXIX.

Suet. *Aug.* 16, 1 Siculum bellum inchoavit in primis, sed diu traxit intermissum saepius, modo reparandarum classium causa, quas tempestatibus duplici naufragio et quidem per aestatem amiserat, modo pace facta, flagitante populo ob interclusos commeatus famemque ingravescentem; donec
5 navibus ex integro fabricatis ac viginti servorum milibus manumissis et ad remum datis portum Iulium apud Baias inmisso in Lucrinum et Avernum lacum mari effecit. in quo cum hieme tota copias exercuisset, Pompeium inter Mylas et Naulochum superavit, sub horam pugnae tam arto
10

repente somno devinctus, ut ad dandum signum ab amicis excitaretur. unde praebitam Antonio materiam putem exprobrandi: ne rectis quidem oculis eum aspicere potuisse instructam aciem, verum supinum, caelum intuentem, stupidum cubuisse nec prius surrexisse ac militibus in conspectum venisse quam a M. Agrippa fugatae sint hostium naves. alii dictum factumque eius criminantur, quasi classibus tempestate perditis exclamaverit etiam invito Neptuno victoriam se adepturum, ac die circensium proximo sollemni pompae simulacrum dei detraxerit.

XXX.

Suet. *Aug.* 18, 1 per idem tempus conditorium et corpus Magni Alexandri, cum prolatum e penetrali subiecisset oculis, corona aurea imposita ac floribus aspersis veneratus est consultusque, num et Ptolomaeum inspicere vellet, regem se voluisse ait videre, non mortuos.

XXXI.

Suet. *Aug.* 23, 2 adeo denique consternatum ferunt (*ob eadem Varianam*), ut per continuos menses barba capilloque summisso caput interdum foribus illideret vociferans: 'Quintili Vare, legiones redde!' diemque cladis quotannis maestum habuerit ac lugubrem.

XXX. Cf. *Dio. Cass. LI 16, 5* και μετά ταῦτα τὸ μὲν τοῦ Ἀλεξάνδρου σῶμα εἶδε, καὶ αὐτοῦ καὶ προσήψατο, ὥστε τι τῆς ῥινός, ὡς φασὶ, θραυσθῆναι· τὰ δὲ δὴ τῶν Πτολεμαίων, καίτοι τῶν Ἀλεξανδρέων σπουδῇ βουλευθέντων αὐτῷ δεῖξαι, οὐκ ἐθεάσατο, εἰπὼν ὅτι 'βασιλέα ἀλλ' οὐ νεκροῦς ἰδεῖν ἐπεθύμησα'. *De hoc Augusti dicto v. Herzog-Hauser R. E. Supplb. IV 821.*

XXXII.

Suet. *Aug.* 25, 4 nihil autem minus perfecto duci quam festinationem temeritatemque convenire arbitrabatur. crebro itaque illa iactabat: σπεῦδε βραδέως·

ἀσφαλῆς γὰρ ἐστ' ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης,

(*Eurip. Phoen. 599*)

et: sat celeriter fieri quidquid fiat satis bene. proelium quidem aut bellum suscipiendum omnino negabat, nisi cum maior emolumentum spes quam damni metus ostenderetur. nam minima commoda non minimo sectantis discrimine similes aiebat esse aureo hamo piscantibus, cuius abrupti damnum nulla captura pensari posset.

XXXIII.

Suet. *Aug.* 28, 3 urbem neque pro maiestate imperii ornatam et inundationibus incendiisque obnoxiam excoluit adeo, ut iure sit gloriatus marmoream se relinquere, quam latericium accepisset.

XXXIV.

Suet. *Aug.* 33, 1 ipse ius dixit assidue et in noctem nonnumquam, si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata vel etiam domi cubans. dixit autem ius non diligentia modo summa sed et lenitate, siquidem manifesti

XXXII. Cf. *Polyaen. strat. VIII 24, 4* Σεβαστὸς τοῖς ἑαυτοῦ στρατηγοῖς παρήγγελλεν ἀσφαλείας πεφροντικῆναι μάλιστα καὶ συνεχῶς ἐπέλεγε τὸ 'σπεῦδε βραδέως', καὶ τὸ 'ἀσφαλῆς γὰρ ἐστ' ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης'. 6 Σεβαστὸς τοὺς ἄνευ λυσιτελείας ῥιψοκινδύνους ἔλεγε μὴδὲν διαφέρειν τῶν χρυσοῖς ἀγχίστροις ἀλιευομένων.

XXXIII. Cf. *Dio. Cass. LVI 30, 3* εἴτ' οὖν ἐκ τούτου εἶτε καὶ ἄλλως ἀρρωστήσας τοὺς τε ἐταίρους συνεχάλεσε, καὶ εἰπὼν αὐτοῖς ὅσα ἔχρηζε, τέλος ἔφη ὅτι 'τὴν Ῥώμην γῆνιν παραλαβὼν λιθίνην ὑμῖν καταλείπω'.

5 parricidii reum, ne culleo insueretur, quod non nisi confessi adficiuntur hac poena, ita fertur interrogasse: 'certe patrem tuum non occidisti?'

XXXV.

Suet. *Aug.* 40, 5 etiam habitum vestitumque pristinum reducere studuit, ac visa quondam pro contione pullatorum turba indignabundus et clamitans: 'en (*Verg. Aen. I* 282)

Romanos, rerum dominos, gentemque togatam!'

5 negotium aedilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro circave nisi positis lacernis togatum consistere.

XXXVI.

Suet. *Aug.* 42, 1 sed ut salubrem magis quam ambitiosum principem scires, querentem de inopia et caritate vini populum severissima coercuit voce: satis provisum a genere suo Agrippa perductis pluribus aquis, ne homines sitirent. eidem populo promissum quidem congiarium reposcenti bonae se fidei esse respondit; non promissum autem flagitanti turpitudinem et impudentiam edicto exprobravit affirmavitque non daturum se quamvis dare destinaret.

XXXVII.

Suet. *Aug.* 51, 2 quadam vero cognitione, cum Aemilio Aeliano Cordubensi inter cetera crimina vel maxime obiceretur quod male opinari de Caesare soleret, conversus ad

XXXVI. Cf. *Dio. Cass. LIV* 11, 7 ('Αγρίππας) τὸ ὕδωρ τὸ Παρθένιον καλούμενον τοῖς ἰδίοις τέλεσιν ἐσαγαγὼν Αὐγουστον προσηγόρευσε. καὶ οὕτω γὰρ ἐκεῖνος ἐπ' αὐτῷ ἔχαιρεν ὥστε σπάνεώς ποτὲ οἴνου γενομένης καὶ τῶν ἀνθρώπων δεινὰ διαβοῶντων, ἰκανώτατα ἔφη τὸν Ἀγρίππαν προνεοημέναι ὥστε μὴ δίσψῃ ποτὲ αὐτοὺς ἀπολέσθαι.

XXXVII. *Aemilius Aelianus iste Cordubensis nobis aliunde prorsus ignotus est. Cf. supra, p. 10 ad fr. VIII.*

accusatorem commotoque similis, 'velim, inquit, hoc mihi probes; faciam sciat Aelianus et me linguam habere, plura enim de eo loquar'; nec quicquam ultra aut statim aut postea inquisiit.

XXXVIII.

Suet. *Aug.* 56, 2 numquam filios suos populo commendavit ut non adiceret: 'si merebuntur'.

XXXIX.

Suet. *Aug.* 56, 3 cum Asprenas Nonius artius ei iunctus causam veneficii accusante Cassio Severo diceret, consuluit senatum, quid officii sui putaret; cunctari enim se, ne si superesset, eripere legibus reum, sin deesset, destituere ac praedamnare amicum existimaretur; et consentientibus univ-
5 versis sedit in subselliis per aliquot horas, verum tacitus et ne laudatione quidem iudiciali data.

XL.

Suet. *Aug.* 58, 1 patris patriae cognomen universi repentino maximoque consensu detulerunt ei: prima plebs legatione Antium missa; dein, quia non recipiebat, ineunti

XXXVIII. Cf. *supra, p. 67 XVII.*

XXXIX. *Asprenas Nonius, qui hic a Suetonio memoratur, filius fuit L. Noni Asprenatis, legati Caesaris a. 708/46 (cf. Plin. n. h. XXXVII 81 sq.); idem a. 745/9, teste Dione Cassio (LV 4, 3), qui tamen rem narrat tacito nomine, reus veneficii factus est a Cassio Parmensi; eius enim causa centum triginta convivae interiisse ferebantur, ut tradit Plinius XXXV 164, ubi Asprenas tantum nominatur, quemadmodum et Quint. X 1, 22 et XI 1, 57, ubi eadem causa memoratur, quam Asinius Pollio contra Cassium defendit. Quae causa in senatu coram Augusto acta est, ut e Suetoni loco, quem supra attulimus, effici licet. Cf. PIR² c 522; ORF³ p. 523 VIII.*

XL. A. 2 a. C. Cfr. ORF³ p. 533 VIII. Non videtur Augustus

Romae spectacula frequens et laureata; mox in curia senatus,
 5 neque decreto neque adclamatione, sed per Valerium Mes-
 salam. is mandantibus cunctis: 'quod bonum, inquit,
 faustumque sit tibi domuique tuae, Caesar Auguste! sic
 enim nos perpetuam felicitatem rei p. et laeta huic precari
 existimamus: senatus te consentiens cum populo R. con-
 10 salutat patriae patrem'. cui lacrimans respondit Augustus
 his verbis — ipsa enim, sicut Messalae, posui —: 'compos
 factus votorum meorum, p. c., quid habeo aliud deos im-
 mortales precari, quam ut hunc consensum vestrum ad
 ultimum finem vitae mihi perferre liceat?'

XLI.

Suet. *Aug.* 65, 2 aliquanto autem patientius mortem quam
 dedecora suorum tulit. nam C. Lucique casu non adeo
 fractus, de filia absens ac libello per quaestorem recitato no-
 tum senatui fecit abstinuitque congressu hominum diu prae
 5 pudore, etiam de necanda deliberavit. certe cum sub idem
 tempus una ex consciis liberta Phoebe suspendio vitam
 finisset, maluisse se ait Phoebes patrem fuisse. relegatae
 usum vini omnemque delicatiorum cultum ademit neque
 adiri a quoquam libero servove nisi se consulto permisit,
 10 et ita ut certior fieret, qua is aetate, qua statura, quo colore
 esset, etiam quibus corporis notis vel cicatricibus. post
 quinquennium demum ex insula in continentem leniori-
 busque paulo condicionibus transtulit eam. nam ut om-
 nino revocaret, exorari nullo modo potuit, deprecanti saepe
 15 p. R. et pertinacius instanti tales filias talesque coniuges
 pro contione inprecatus. ex nepte Iulia post damnationem

*veram orationem hac occasione habuisse sed pauca tantum haec
 dixisse verba quae ideo huc receperimus.*

XLI. De Phoebe liberta cf. *Dio. Cass. LV 10, 16 (a. 752/2).*

editum infantem adgnosci alique vetuit. Agrippam nihilo
 tractabiliorem, immo in dies amentiore in insulam trans-
 portavit saepsitque insuper custodia militum. cavavit etiam
 s. c. ut eodem loci in perpetuum contineretur. atque ad 20
 omnem et eius et Iuliarum mentionem ingemiscens procla-
 mare etiam solebat:

αἰθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμειναι ἄγονός τ' ἀπολέσθαι
 (*Hom. Il. III 40*),

nec aliter eos appellare quam tris vomicas ac tria carci-
 nomata sua.

XLII.

Suet. *Aug.* 66, 2 Gallo quoque et accusatorum denuncia-
 tionibus et senatus consultis ad necem compulso laudavit
 quidem pietatem tanto opere pro se indignantium, ceterum
 et inlacrimavit et vicem suam conquestus est, quod sibi
 soli non liceret amicis, quatenus vellet, irasci.

XLIII.

Suet. *Aug.* 97, 3 Tiberium igitur in Illyricum dimissurus
 et Beneventum usque prosecuturus, cum interpellatores aliis
 atque aliis causis in iure dicendo detinerent, exclamavit,
 quod et ipsum mox inter omina relatam est: non si omnia
 morarentur, amplius se posthac Romae futurum.

XLIV.

Suet. *Aug.* 99, 1 supremo die identidem exquirens, an
 iam de se tumultus foris esset, petito speculo capillum sibi
 comi ac malas labantes corrigi praecepit et admissos amicos

XLII. Cf. *supra p. 97 *XXIII* — De Cornelio Gallo cf. *PIR*²
 c 1369.

percontatus, ecquid iis videretur mimum vitae commode
5 transegisse, adiecit et clausulam (*Edmonds, Fr. Att. Com.*
III, A, p. 468, n. 771):

ἐπεὶ δὲ πάνυ καλῶς, τῷ παιγνίῳ
δοῦτε κρότον καὶ πάντες ἡμᾶς μετὰ χαρᾶς προπέμψατε.

omnibus deinde dimissis, dum advenientes ab urbe de Drusi
10 filia aegra interrogat, repente in osculis Liviae et in hac
voce defecit: 'Livia, nostri coniugii memor vive ac vale!' sortitus exitum facilem et qualem semper optaverat. nam fere quotiens audisset cito ac nullo cruciatu defunctum quempiam, sibi et suis εὐθανασίαν similem — hoc enim
15 et verbo uti solebat — precabatur.

XLV.

Suet. *Tib.* 21, 1 ac non multo post lege per consules lata, ut provincias cum Augusto communiter administraret simulque censum ageret, condito lustro in Illyricum pro-

XLIV. 4 mimum P² (*Beroald.*): minimum *codd.*, nimium *edd. pleraeque vet.* 7-8 corruptus est locus in *codd. et editores alii alios versus protulerunt*: ἐπεὶ δὲ πάνυ καλῶς πέπαισται, δοῦτε κρότον | καὶ πάντες ἡμᾶς μετὰ χαρᾶς προπέμψατε *Koch (CAF III, p. 544 n. 771)*, quem secutus est *Ihm in editione Suetoniana (1907)*: εἰ δὲ τι | ἔχοι καλῶς, τῷ παιγνίῳ δοῦτε κρότον | καὶ πάντες ἡμᾶς μετὰ χαρᾶς προπέμψατε *Ailloud in Suetoni editione Parisina (1931)* pro προπέμψατε (*Bentley*) coni. κτυπήσατε *Erasmus*, πομπύσατε *Turnebus* 14 EITANASIAN M, EYT- *rell.*

Cf. Dio. LVI 30, 4 κρότον δὲ δὴ τινα παρ' αὐτῶν ὁμοίως τοῖς γελοιοποιοῖς ὡς καὶ ἐπὶ μίμου τινὸς τελευταῖῃ, αἰτήσας καὶ πάνυ πάντα τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον διέσκωψε; *O. Hirschfeld, Augustus und sein Mimum vitae, in Wien. St. IV, 1882, p. 116 sqq.*; *U. v. Wilamowitz-Moellendorf, Res gestae divi Augusti, in Herm. XXI, 1886, p. 625 sq.*; *A. Spengel, Ein Ausspruch des Augustus, Blätter für das bayer. Gymnasialschulw. XXXIII, 1897, p. 561-63*; *A. Solari, Il monumento politico di Augusto, in Philologus XCII, 1937, p. 443.*

fectus est (*Tiberius*). et statim ex itinere revocatus iam quidem adfectum, sed tamen spirantem adhuc Augustum 5 repperit fuitque una secreto per totum diem. scio vulgo persuasum quasi egresso post secretum sermonem Tiberio vox Augusti per cubicularios excepta sit: 'miserum populum R., qui sub tam lentis maxillis erit'.

XLVI.

Suet. *Galb.* 4, 1 constat Augustum puero adhuc (*Galbae*), salutanti se inter aequales, apprehensa buccula dixisse: 'καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρῶξῃ'.

XLVII.

App. *b. c.* III 13 ὡς δ' ἐς τὴν πόλιν ἀφίκετο, ἡ μὲν μήτηρ αἰθῆς καὶ Φίλιππος, ὅσοι τε ἄλλοι κηδεμόνες ἦσαν αὐτοῦ, ἐδεδοίκεσαν τὴν τε τῆς βουλῆς ἐς τὸν Καίσαρα ἀλλοτριώσιν, καὶ τὸ δόγμα, μὴ εἶναι δίκας ἐπὶ Καίσαρι φόνου, καὶ τὴν Ἀντωνίου τότε δυναστεύοντος ἐς αὐτὸν ὑπεροψίαν, οὔτε 5 ἀφικομένου πρὸς τὸν Καίσαρος υἱὸν ἐλθόντα, οὔτε προσπέψαντος αὐτῷ· ὁ δὲ καὶ ταῦτ' ἐπράυνεν, αὐτὸς ἀπαντήσιν ἐς τὸν Ἀντώνιον εἰπὼν οἷα νεώτερος ἐς πρεσβύτερον καὶ ἰδιώτης ἐς ὑπάτον, καὶ τὴν βουλήν θεραπεύσειν τὰ εἰκότα. καὶ τὸ δόγμα ἔφη γενέσθαι μηδενὸς πω τοὺς ἀνδροφόνους διώκοντος· 10 ἀλλ' ὅποτε θαρρήσας τις διώκοι, καὶ τὸν δῆμον ἐπικουρήσειν καὶ τὴν βουλήν ὡς ἐνόμῳ καὶ τοὺς θεοὺς ὡς δικαίῳ καὶ τὸν Ἀντώνιον ἴσως. εἰ δὲ καὶ τοῦ κλήρου καὶ τῆς θέσεως ὑπερίδοι, ἐς τε τὸν Καίσαρα ἀμαρτήσεσθαι καὶ τὸν δῆμον ἀδικήσειν ἐς τὴν διανομήν. ἀπερρήγνυ τε λήγων τοῦ λόγου ὅτι μὴ 15 κινδυνεύειν οἱ καλὸν εἶη μόνον, ἀλλὰ καὶ θνήσκειν, εἰ προκριθεὶς ἐκ πάντων ἐς τοσαῦτα ὑπὸ τοῦ Καίσαρος ἀντάξιός αὐτοῦ φαίνοιτο φιλοκινδυνωτάτου γεγονότος. τά τε τοῦ Ἀχιλλέως,

XLVI. *Cf. Tac. ann. VI 20, 2 et Dio. LVII 19, 4, apud quo dictum Tiberio tribuitur.*

ὑπόγυά οἱ τότε ὄντα μάλιστα, ἐς τὴν μητέρα ὡσπερ ἐς τὴν
20 Θέτιν ἐπιστρεφόμενος ἔλεγεν·

‘ αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ’ ἔμελλον ἐταίρω
κτεινομένῳ ἐπαμύνειν ’

(Hom. Il. XVIII 98).

καὶ τότε εἰπὼν, Ἀχιλλεῖ μὲν ἔφη κόσμον ἀθάνατον ἐκ πάντων
εἶναι τοῦτο τὸ ἔπος, καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ μάλιστα, αὐτὸς δ’
25 ἀνεκάλει τὸν Καίσαρα οὐχ ἐταῖρον ἀλλὰ πατέρα, οὐδὲ συστρα-
τιώτην ἀλλ’ αὐτοκράτορα, οὐδὲ πολέμου νόμῳ πεσόντα ἀλλ’
ἀθεμίστως ἐν βουλευτηρίῳ κατακοπέντα.

XLVIII.

Dio Cass. LIV 23, 1 κὰν τῷ αὐτῷ τούτῳ ἔτει Οὐήδιος
Πωλίων ἀπέθανεν, ἀνὴρ ἄλλως μὲν οὐδὲν μνήμης ἄξιον παρα-
σχόμενος, καὶ γὰρ ἐξ ἀπελευθέρων ἐγεγόνει, καὶ ἐν τοῖς ἰπ-
πεῦσιν ἐξητάζετο καὶ λαμπρὸν οὐδὲν εἰργάσατο, ἐπὶ δὲ δὴ
τῷ πλούτῳ τῇ τε ὀμότητι ὀνομαστότατος γενόμενος, ὥστε
καὶ ἐς ἱστορίας λόγον ἐσελθεῖν. οὗτος γὰρ τὰ μὲν ἄλλα ὅσα
ἔπραττε, δι’ ὄχλου ἂν λεγόμενα γένοιτο, μυραίνας δὲ δεδιδαγ-
μένας ἀνθρώπους ἐσθίειν ἐν δεξαμεναῖς τρέφων, τοὺς δούλους
αὐταῖς οὐς ἐθανάτου παρέβαλλε. καὶ ποτε τὸν Αὐγουστον
1 ἐστιῶν, εἶτ’ ἐπειδὴ ὁ οἰνοχόος κύλικα κρυσταλλίνην κατέαξεν,
ἐς τὰς μυραίνας αὐτόν, μηδὲ τὸν δαιτυμόνα αἰδεσθεῖς, ἐμβλη-
θῆναι προσέταξεν. ὁ οὖν Αὐγουστος, προσπεσόντος οἱ τοῦ
παιδὸς καὶ ἰκετεύσαντος αὐτόν, τὰ μὲν πρῶτα πείθειν τὸν
Πολίωνα ἐπειρᾶτο μηδὲν τοιοῦτον δρᾶσαι, ὡς δ’ οὐχ ὑπήκουσεν
1 αὐτῷ, ‘ φέρε, ἔφη, πάντα τᾶλλα ἐκπώματα, ὅσα ποτὲ τοιου-
τότροπα ἢ καὶ ἕτερα τινὰ ἐντιμα κέκτησαι, ἵνα αὐτοῖς χρή-
σωμαι ’. καὶ αὐτὰ κομισθέντα συντριβῆναι ἐκέλευσεν. ἰδὼν
δὲ τοῦτ’ ἐκεῖνος ἄλλως μὲν ἤσχαλλεν, οὔτε δὲ τοῦ ἐνός ἐτι
ποτηρίου πρὸς τὸ πλῆθος τῶν ἄλλων τῶν ἀπολωλότων ὀργὴν
20 ἔχων, οὔτ’ αὖ τὸν διάκονον ὄν γε καὶ ὁ Αὐγουστος ἐπεποιήκει
τιμωρήσασθαι δυνάμενος, ἡσυχίαν καὶ ἄκων ἤγαγε.

XLVIII. Cf. Sen. de ira III 40, 2-3.

XLIX.

Macr. sat. II 4, 1 Augustus Caesar adfectavit iocos salvo
tamen maiestatis pudorisque respectu nec ut caderet in scur-
ram. Aiace tragoediam scripserat eandemque, quod sibi
displicuisset, deleverat. postea L. Varius tragoediarum
scriptor interrogabat eum quid ageret Ajax suus. et ille
‘ in spongiam, inquit, incubuit ’.

L.

ibid. II 4, 4 idem cum ab eo Pacuvius Taurus congia-
rium peteret diceretque iam hoc homines vulgo loqui, non
parvam sibi ab illo pecuniam datam, ‘ sed tu, inquit, noli
credere ’.

LI.

ibid. II 4, 5 alium praefectura equitum submotum et
insuper salarium postulantem dicentemque: ‘ non lucri
causa dari hoc mihi rogo, sed ut iudicio tuo munus videar
impetrasse et ita officium deposuisse ’, hoc dicto repercutit:
‘ tu te accepisse apud omnes adfirma et ego dedisse me non
negabo ’.

LII.

ibid. II 4, 7 saxo in expeditione percussum ac notabili
ciatrice in fronte deformem, nimium tamen sua opera
iactantem sic leniter castigavit: ‘ at tu cum fugies, inquit,
numquam post te respexeris ’.

XLIX. Vide supra p. XIV.

L. Pacuvius Taurus qui congiarium, i. e. pecuniae donum ab
Augusto petisse hic traditur, idem fuisse videtur de quo loquitur
Dio LIII 20, 2: cf. de eo M. Hofmann in R. E. XVIII 2174 n. 7.

LIII.

ibid. II 4, 8 Galbae, cuius informe gibbo erat corpus, agenti apud se causam et frequenter dicenti: 'corrige in me siquid reprehendis', respondit: 'ego te monere possum, corrigere non possum'.

LIV.

ibid. II 4, 9 cum multi Severo Cassio accusante absolventur et architectus fori Augusti expectationem operis diu traheret, ita iocatus est: 'vellem Cassius et meum forum accuset'.

LV.

ibid. II 4, 10 Vettius cum monumentum patris exarasset, ait Augustus: 'hoc est vere monumentum patris colere'.

LVI.

ibid. II 4, 11 cum audisset inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudaeorum intra bimum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait: 'mallem Herodis porcus esse quam filius'.

LVII.

ibid. II 4, 13 exceptus est a quodam cena satis parca et quasi cotidiana. nam paene nulli se invitanti negabat. post epulum igitur inops ac sine ullo apparatu discedens vale dicenti hoc tantum insurravit: 'non putabam me tibi tam familiarem'.

LVI. De hoc Augusti dicto vide Th. Reinach, *Textes d'auteurs grecs et romains relatifs au Judaïsme*, Paris. 1895, p. 357 adn.; E. Norden, *Ein Panegyricus auf Augustus in Vergils Aeneis*, in *Rhein. Mus.* LIV, 1899, p. 474 adn.

LVIII.

ibid. II 4, 14 cum de Tyriae purpurae, quam emi iuserat, obscuritate quereretur, dicente venditore: 'erige altius et suspice', his usus est salibus: 'quid? ego, ut me populus Romanus dicat bene cultum, in solario ambulaturus sum?'

LIX.

ibid. II 4, 15 nomenclatori suo, de cuius oblivione querebatur, dicenti: 'numquid ad forum mandas?' 'accipe, inquit, commendaticias quia illic neminem nosti'.

LX.

ibid. II 4, 16 Vatinio in prima sua aetate eleganter insultavit. contusus ille podagra volebat tamen videri discussisse iam vitium et mille passus ambulare se gloriabatur. cui Caesar: 'non miror, inquit: dies aliquanto sunt longiores'.

LXI.

ibid. II 4, 17 relata ad se magnitudine aeris alieni, quam quidam eques Romanus dum vixit excedentem ducenties celaverat, culcitam emi cubicularem in eius auctione sibi iussit et praeceptum mirantibus hanc rationem reddidit: 'habenda est ad somnum culcita in qua ille, cum tantum deberet, dormire potuit'.

LXII.

ibid. II 4, 18 non est intermittendus sermo eius, quem Catonis honori dedit. venit forte in domum in qua Cato habitaverat. dein Strabone in adulationem Caesaris male

LXII. Strabo iste, cuius Augustus adulationem repressit, fuisse videtur Seius Strabo, eques et cohortium praefectorum sub Augusto praefectus, et L. Aelii Seiani pater: cf. Stein *R. E.* II A 1125 n. 15; Cichorius, *Röm. St.* p. 292 s. — De Augusti verborum vi cf. J. Carcopino, *Rev. Et. Anc.* LIII, 1951, p. 154.

existimante de pervicacia Catonis ait: 'quisquis praesentem statum civitatis commutari non volet, et civis et vir bonus est'.

LXIII.

ibid. II 5, 4 blandiebatur sibi Augustus laetum in filia animum usque ad speciem procacitatis sed reatu liberum. et talem fuisse apud maiores Claudiam credere audebat. itaque inter amicos dixit duas habere se filias delicatas, quas necesse haberet ferre, rem publicam et Iuliam.

LXIV.

ibid. II 5, 5 venerat ad eum licentiore vestitu et oculos offenderat patris tacentis. mutavit cultus sui postera die morem et laetum patrem affectata severitate complexa est. at ille, qui pridie dolorem suum continuerat, gaudium continere non potuit et 'quantum hic, ait, in filia Augusti probabilior est cultus!' non defuit patrocínio suo Iulia his verbis: 'hodie enim me patris oculis ornavi, heri viri'.

LXV.

ibid. II 5, 7 eadem Iulia mature habere coeperat canos, quos legere secrete solebat. subitus interventus patris aliquando oppressit ornatrices. dissimulavit Augustus deprehensus super vestem earum canis, et aliis sermonibus tempore extracto induxit aetatis mentionem, interrogavitque filiam, utrum post aliquot annos cana esse mallet an calva; et cum illa respondisset: 'ego, pater, cana esse malo', sic illi mendacium obiecit: 'quid ergo istae te calvam tam cito faciunt?'.

LXVI.

Vell. II 60, 2 maluit avunculo et Caesari de se quam vitrico credere, dictitans nefas esse, quo nomine Caesari dignus esset visus, semet ipsum indignum videri.

LXVII.

Vell. II 104, 1 adoptatus eadem die etiam M. Agrippa, quem post mortem Agrippae Iulia enixa erat, sed in Neronis adoptione illud adiectum his ipsis Caesaris verbis: hoc, inquit, rei publicae causa facio.

Cf. Suet. Tib. 21, 3.

LXVIII.

Suet. *Aug.* 45, 1 (spectaculo) quotiens adesset, nihil praeterea agebat, seu vitandi rumoris causa, quo patrem Caesarem vulgo reprehensum commemorabat, quod inter spectandum epistulis libellisque legendis aut rescribendis vacaret, seu studio spectandi ac voluptate, qua teneri se neque dissimulavit unquam et saepe ingenue professus est.

LXIX.

Suet. *Aug.* 54 Antistius Labeo senatus lectione, cum virum legeret, M. Lepidum hostem olim eius et tunc exultantem legit interrogatusque ab eo an essent alii digniores, suum quemque iudicium habere respondit.

Cf. Dio. LIV 15, 7.

LXX.

Suet. *Aug.* 82, 2 quotiens nervorum causa marinis Albulisque calidis utendum esset, contentus hoc erat ut insidens ligneo solio, quod ipse Hispanico verbo *duretam* vocabat, manus ac pedes alternis iactaret.

De verbo 'dureta', quod hic tantum invenitur v. A. Holder, Altcelt. Sprachschatz, s.v.

LXXI.

Suet. *Aug.* 97, 1 cum lustrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, aquila eum saepius circumvolavit transgressaque in vicinam aedem super nomen Agrippae ad primam litteram sedit; quo animadverso vota, quae in proximum lustrum suscipi mos est, collegam suum Tiberium nuncupare iussit: nam se, quamquam conscriptis paratisque iam tabulis, negavit suscepturum quae non esset soluturus.

LXXII.

Suet. *Tib.* 17, 2 censuerunt quidam ut Pannonicus, alii ut Invictus, nonnulli ut Pius cognominaretur. sed de cognomine intercessit Augustus, eo contentum repromittens, quod se defuncto suscepturus esset.

LXXIII.

Macr. *Sat.* II 4, 30 sublimis Actiaca victoria revertebatur. occurrit ei inter gratulantes corvum tenens, quem instituerat haec dicere: 'ave Caesar victor imperator'. miratus Caesar officiosam avem viginti milibus nummum emit. — salutatus similiter a psittaco, emi eum iussit. idem miratus in pica hanc quoque redemit. exemplum sutorem pauperem sollicitavit ut corvum institueret ad parem salutationem, qui impendio exhaustus saepe ad avem non respondentem dicere solebat: 'opera et impensa periit'. aliquando tamen corvus coepit dicere dictatam salutationem. hac audita dum transit Augustus respondit: *satis domi saluatorum talium habeo.* superfuit corvo memoria ut et illa quibus dominum querentem solebat audire subtexeret: 'opera et impensa periit'. ad quod Caesar risit emique avem iussit quanti nullam adhuc emerat.

INDICES AD AUGUSTI SCRIPTA, PRAETER
«RES GESTAS», ET DICTA PERTINENTES

I. Nomina propria (*)

Achilles 3 VII 2; 169 XLVII 18, 23	Ancyra 69 20
Actium 95 XVII 1	Andania (Annia <i>Plin. codd.</i>) 67 XIX 2
Aegina 43 LXX 2, 3	Annius Cimber 19 XXX 1
Aemilia lex 33 10	Antiochenses 33 7
Aemilius Aelianus Cordubensis 164 XXXVII 1, 5	Antistius Labeo 175 LXIX 1
Aeneis 22 XXXV 1	Antium 165 XL 3
Africa 26 XLVI 2; 83 VII 2	Antonia 7 I 25
Agrippa (M.) 45 LXXII 18; 59 III 3; 66 XIV 4; 76 XV 2; 78 XX 9; 81 I 5; 88 VIII 6; 97 XXIII 2; XXV 9; 155 VII 14; 162 XXIX 16; 164 XXXVI 4; 175 LXVII 2; A. Postumus 167 17; 175 LXVII 1	Antonius (L.) 73 II 1; 91 2
Agrippina Germanici uxor 18 XXVI 4	Antonius (M.) 2 IV 1; 18 XXVIII 1; 19 XXIX 1; 29 LIV 5; 30 LVII 3, LVIII 2, 4; 39 LXIV 1, 5; 72 IV 4; 74 VI 4; VII 2, 3, 6; VIII 4; 86 V 3; 88 IX 1, 6; 89 X 3, 9; 94 XV 12; 95 XVI 2, XVII 1; 158 XV 1; 161 XXVII 1, 4; 162 XXIX 12
Aiax 3 VI 2; VII 2; 171 IL 3, 5	Apellaeus (mensis) 32 1; 38 85
Albanus mons 7 I 19	Appenninus 82 III 13
Albis flumen 103 XLIII 3, 5	Apriles nonae 99 XXX 2
Alexander (Magnus) 75 X 1; 158 XVIII 1, 3; XIX 3; 162 XXX 2	Aquitani 82 IV 2
Alpes 94 XV 9; 160 XXIV 2	Archelaus 46 LXXIV 8
Anaxandrides 47 8	Ariminum 82 III 12, 13
	Arius philosophus 158 XVI 1
	Armenia 49 LXXXVII 6; 159 XIX 1

(*) Arabicis numeris maioribus paginae significantur, minutioribus versus, Romanis numeris fragmenta.

Indices ad «Res gestas» pertinentes seorsum infra proferuntur.

- Arretinum lasar 20 1
 Artorius Marcus 90 XII 7
 Asia 35 36, 48; 53 IV 3; 69 20;
 83 VII 2; 89 X 2
 Asiatici oratores 19 XXX 3
 Asillius 19 XXVI 2
 Asinius Gallus 47 11
 Asinius Pollio 97 XXII 4
 Asprenas Nonius 165 XXXIX 1
 Athenienses 43 LXX 1
 Athenodorus 7 II 3; 158 XVII
 1, 3
 Atilia lex 35 43
 Atticus (Q. Pomponius) 25 XLIII
 3, 6; 97 XXIII 2
 Augustum nomen 100 XXXIII 4
 Augustus *passim nominatur*
